



DISSERTATIO IVRIS PVBLICI
DE

1793.18
427
1718 246

ORIGINIBVS
OFFICIORVM
AVLICORVM S. R. I.

QVAM
CONSENSV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN V. I. HONORES CAPESSENDI

AD D. XXII. AVGVSTI A. d. 1718.

H. L. Q. S.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBIICT

IO. IACOBVS MASCOV,
COLL. MIN. PRINC. IN ACAD. LIPS.
COLLEGIATVS.

LIP SIAE,
RECUSA APVD GABRIELEM TROGIVM. (7)

M. H.

VIRO
REVERENDISSIMO, PERILLVSTRI,
ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO
CHRISTOPH.
HENRICO

DE *Waldorff*/

DYNASTAE IN CROSTAV, EVLOWITZ,
STEDTEN ET BIRCKENHEYDA &c.
ECCLESIAE BVDISSINENSIS
PRAEPOSITO, ET CANONICO
MISNENSI.

SERENISS. ET POTENTISS. REGIS
POLONIAE, ET ELECTORIS SAXONIAE
MINISTRO STATUS, CONSILIARIO IN-
TIMO, STEVRARVMQVE ET ACCISA-
RVM DIRECTORI

DOMINO SVO GRATIOSO.

HANC DISSERTATIONEM

DEVOTI ANIMI MONUMENTVM

CONSECRAT

obsequiosissimus cliens

IO. IACOBVS MASCOV.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. I. *Quae officia hic intelligantur?*
 §. II. *Instituti ratio.*
 §. III. *Origo officiorum aulicorum in Germania quaerenda.*
 §. IV. *De archicancellario. Apocris-
 tarii, archicapellani quod officium?*
 §. V. *Summi cancellarii officium. Ar-
 chicapellanus & archicancellarius
 promiscue postea appellati.*
 §. VI. *Cur recognitio dipl. necessaria, &
 archicapellano demandata? varia
 ratio subscribendi.*
 §. VII. *Archicapellani Regum Germa-
 niae: Ludovici Germanici; filiorum-
 que Ludovici & Caroli; Archica-
 pellani plures simul sub eodem rege.*
 §. VIII. *Archicapellani sub Caroloman-
 no, Arnulpho, Ludovico.*
 §. IX. *Sub Conrado I. & Henrico Aucupe.*
 §. X. *Sub Ottone I. plures archicapel-
 lani eodem tempore.*
 §. XI. *Mallinkrotii, qui eos sibi succes-
 sisse putat, sententia expenditur.*
 §. XII. *An jam sub Ottone certis finibus
 adscripti fuerint archicancellarii?*
 §. XIII. *An Moguntinae ecclesiae archi-
 cancellariatus a Wilhelmi tempori-
 bus deducendus?*
 §. XIV. *Quando Moguntini archican-
 cellariatus ad Germaniam restri-
 ctus?*
 §. XV. *Archicancellariatus ecclesiae
 Colonienfis prima occasio.*
 §. XVI. *Quando archicancellariatum
 Italiae jure proprio obtinuerit?*
 §. XVII. *Respondetur ad objectionem
 ex verbis Hermanni Contracti.*
 §. XVIII. *De archicancellariatu archi-
 episcopi Trevirensis: an perpetuus
 regni Lotharingici archicancel-
 larius fuerit?*
 §. XIX. *Quando Arelatensem archican-
 cellariatum acceperit?*
 §. XX. *Tituli conservatio: & officii
 exercitium.*
 §. XXI. *Reliqui aule Carolinae officiales
 recensentur: quatuor praecipui fue-
 runt archiofficiales.*
 §. XXII. *Quae fuerit horum archi-
 officiorum ratio?*
 §. XXIII. *An hereditaria ab initio
 fuerint?*
 §. XXIV. *Officiales legebantur ex di-
 versis provinciis.*
 §. XXV. *Pincernarum apud antiquos
 Germ. dignitas.*
 §. XXVI. *Qui post Carolinos pincerna?*
 §. XXVII. *Quando officium ad Bobe-
 mos pervenerit? An sub Ottone III?*
 §. XXVIII. *An sub Frederico I?*
 §. XXIX. *An imperio ad Suevos delato?*
 §. XXX. *Origines archidapiferatus.*
 §. XXXI. *Qui post Carolingos dapiferi?*
 §. XXXII. *Quando Comites Palatini
 hereditario jure dapiferi facti?*
 §. XXXIII.

- §. XXXIII. Marschallatus origines Germanie.
- §. XXXIV. An archimarschalli idem hodie quod olim comitis stabuli officium? ubi de seneschallo & mansionario.
- §. XXXV. Qui post Carolingos marschalli fuerint? An qui gladium pretulisse Imperatoribus leguntur, marschalli etiam officium gessisse censendi sint?
- §. XXXVI. Quando ad Saxonie duces hereditarium hoc officium pervenerit?
- §. XXXVII. Camerarii antiquum officium.
- §. XXXVIII. Qui archicamerarii post Carolingos?
- §. XXXIX. Quando ad march. Brandenburgenses id officium pervenerit?
- §. XL. An sub Lothario Sax. extinctis Franconie duibus?
- §. XLI. Thesaurarii origo & officium.
- §. XLII. Comitum Palatii antiquum officium a majore domus diversum.
- §. XLIII. Plures Palatii Comites. Comitum Palatinorum Rheni prerogativa.
- §. XLIV. Archivenatores imperii; an inter eos dux Wurtembergie?
- §. XLV. Protovesiarii officium a Ludovico Bavaro institutum: ubi de jure imponendi Imperatori, demendive coronam.
- §. XLVI. De officio aulico ducum Lotharingicorum.
- §. XLVII. Curpalates.
- §. XLVIII. Janitores.
- §. XLIX. Officia quedam aulica subordinata, aut temporaria, & ad certas provincias restricta recensentur.
- §. L. Schwartzburgici an archippositi? de comitiva illorum majori.
- §. LI. An Comites Oldenburgici officium imperii aulicum gesserint?
- §. LII. Aliorum regnorum Germanie quondam unitorum officiales aulici: Regni Lotharingici.
- §. LIII. Regni Arelatensis officia Palatina.
- §. LIV. Archicancellarius Arelatensis.
- §. LV. It. Seneschallus.
- §. LVI. Officia aulica Italie. Comes Palatii Lateranensis.
- §. LVII. Archicancellarius regni Italianici.
- §. LVIII. Archi-officiales Auguste, eorumque origo.
- §. LIX. Archicancellariatus Abb. Fuldenensis origo: An ab Ortoni I. tempore?
- §. LX. Tituli renovatio: exercitium officii.
- §. LXI. Archimarschallus Imperatoris,

ORI-



ORIGINES OFFICIORVM AVLICORVM S. R. IMPERII.

§. I.



Vltæ præcæ regni Germanici formæ vestigia in officiorum, quibus & res publica & aula administrata fuit, memoria supersunt. Erant olim magistratus in regno, qui sacras ceremonias, qui bella, qui iudicia, qui reditus publicos tractarent. Erant etiam in aula, qui domum principis regerent, cubiculi, mensæ, ordinisque & decoris aulici curam gererent, ac regi simul suas in republica partes agent, consilio & opera præsto essent. Datum est præcipuis aulæ proceribus archi-officiorum nomen, cum subordinata iis reliqua aulæ ministeria essent, & ipsi tantum in solennibus curiis partes quasdam sui muneris, maioris splendoris causa, obirent: Quas ipsas etiam, cum forte abessent, per vicarios hæreditarios exercere cœperunt. Præter officia primaria, quæ principes electores propria gerunt, alia quoque & sub Carolingis iam cognita, & a posterioribus regibus constituta fuerunt quæ tamen illorum dignitatem non omnino æquarunt,

Quæ officia
hic intelli-
gantur?

runt, & partim iterum interciderunt. Augusta etiam archi-officia aula suæ habent. Et tenuia quædam vestigia, officia ejusmodi primaria in reliquis regnis, cum Germanico unitis, olim existisse docent. Quamvis vero tanta rerum commutatio facta fuerit, duravit tamen quædam veteris aula imago, eaque officia inter præcipua ornamenta sua principes potentissimi computant ac studiosissime tuentur.

Instituti ratio.

§. II. De his autem aulae officiis dum commentari ordior, rem dudum ab aliorum industria occupatam aggredi nonnullis videbor, cum inter Gallos perinde, & Germanos (utrumque enim regnum a veteri Francorum aula dignitatum origines repetit) plures viri docti id argumentum excusserint. Sed nec mihi tam est animus, id de integro velut resingere, quam nonnulla tantum, quæ in dubio relicta, vel audaciori conjectura tentata; fuerunt, ad examen; nonnulla etiam, quæ vaga & sedibus suis divolsa apud alios errant, in ordinem revocare. Et hæc quidem dissertatione veras officiorum origines, hoc est, præscam eorum rationem, tum tempus, atque occasionem, qua illa perpetuo jure ad principes, qui hodie tenent, pervenerint, explicare institui. Ita facilius erit alio loco de ipsis archi-officiorum juribus disputare, ac eam imprimis quæstionem expendere, utrum vi officii sui, principes electores eligendi regis jus acceperint.

Origo officiorum aulae in Germania quaerenda.

§. III. Videas multos, ubi de officiis regni germanici agunt, ad Romanorum imperatorum instituta provocare, inde origines eorum, inde potestatem unice deducere: quasi demum cum imperii Romani titulo in Germaniam venissent. Germanici reges, cum regna in Romanorum provinciis condidissent, retinuerunt multa ex Romana consuetudine. Forte & splendorem Græcæ aulae in nonnullis æmulati sunt. Sed ut tabularum, quibus fœdera, leges, donationes, & alia

acta publica continebantur, cura haberetur; ut esset, qui ararium curaret: quique ad regem civium causas deferret; ipsa vitæ civilis necessitas eos docere poterat. An vero nec dapiferos, pincernas, stabuli præfectos & venatores habituri fuissent, nisi eos Romanorum exemplum erudivisset? Vidit jam H. Conringius (1), melius has origines in Germania quæri, & res ipsa docebit.

(1) *In diss. de Official. Imperti, quæ est 10. inter exercit. de R. P. Imp. Germ.*

§. IV. Archicapellani nomen, quod archicancellario De Archicancellario. Apocriphario seu archicapellani quod officium? deinde promiscue tribui coeptum, in aula Caroli M. & ali-
quandiu sub posteris etiam regibus, apocriphario, quem re-
prensivalem negotiorum ecclesiasticorum larine vocant, pro-
prie tribuebatur: Ad illius officium omnis res sacra, quæ
ad jus regis pertineret, & omnis palatii clerus, qui hodie in
Gallia magno regis elemosynario subest, spectabat. Hinc-
marus id ita describit (1), ut facile appareat, illum insignem
in consilio locum habuisse. Erat enim officii ejus *de omni
ecclesiastica religione vel ordine, nec non etiam de canonica vel
monastica altercatione, seu quæcumque palatium adibant, pro
ecclesiastici: necessitatibus sollicitudinem habere. Verum quoque
& omnem consolationem spiritualem, sive consilium totius pala-
tii, quicumque quæreret, apud eum, ut necesse erat, fideliter
inveniebat; & qui non quæreret, & tamen ipse apud aliquem
necessarium esse sentiret, juxta persone qualitatem, & a per-
verso sensu vel opere retrahere, & ad viam salutis convertere
sudebat.* Aliud quoque ejus officium in aula fuit: consecra-
re mensam regis: quod adhuc hodie cancellariorum est.
Theodulfus Aurelianensis de Hildebaldo archicapellano (2);
Stat benedicturus regis potumque cibumque
Sumere quin etiam rex velit, ille volet.
Responsales vocabantur, quod responsa seu mandata princi-
pum exequerentur. Habuerunt etiam papa & alii patriar-
chæ

cha apocrisarios, seu responsales suos, in aula Constantino-
politana, sed paulo alio sensu. Quippe qui ecclesiaz nego-
ria illorum nomine apud principem curarent (3), quem ho-
norem etiam Francicis imperatoribus habuerunt. Ita episco-
pi Metenses Engilramnus, & Drago in Caroli M. & Ludo-
vici Pii aula, apostolica sedis apocrisarii fuerunt (4), Ca-
rolum Calvum imperio positum illo mittendarum legatio-
num officio absolvisse Romanam sedem ex Eutropio presby-
tero Longobardo, Petrus de Marca observat (5), sed diu
post illa tempora in Germania imperante Henrico V. reperio
Ruthardum episcopum Moguntinum & Gebhardum Constani-
tensem episcopum responsales Papæ (6). Archiepiscopi
autem illud seu apocrisarii officium initio non perpetuum
fuisse, sed ita a principe tribui solitum, ut pro arbitrio au-
ferri posset ex epistola Lupi Ferrariensis 97. elicere vult Sc-
phanus Baluzius (7), sed locus ille probationi non sufficit:
æque enim de incertitudine vitæ humanæ explicari potest:
verba sunt: *nec vos decipiat transitoria felicitas mundi. cui per-
petua promittitur beatitudo cæli. Exercete ubicunque possitis
justitiam, & quibuscunque sufficitis, impendite misericordiam:
quia qui vobis bene agendi facultatem largitus est, quamdiu illi
permissurus sit ignoratis. Ipsius vox est: Vigilate, quia nescitis
diem neque horam.*

(1) Epist. pro Institutione Carolomanni regis §. 20. T. II. operum p. 208.

(2) carm. I. 3.

(3) PETR. DE MARCA *de conc. Sacerd. & Imp. p. II. l. V. c. 17.*
S. IV. p. 47. edit. Paris. 1699. add. not. CL. BALVZII.

(4) Vid. Caroli Calvi epist. ad Nicolaum Papam in Concil. Gall.
SIRM. T. III. p. 243. (5) l. c. c. 8. §. 5.

(6) ABBAS VRSB. *ad a. 1105.*

(7) Conf. *ej. notas ad PETRI DE MARCA l. c. P. I. l. 4. c. 7. §. 3.*

Summi can-
cellarii offi-
cium. Archi-

§. V. Huic sociabatur summus cancellarius, qui a se-
cretis ante dictus fuerat (1), ipsi quoque magnæ existimatio-
nis

nis minister. Nam episcopi saepe munus gesserunt, atque
 alii statim inde ad archicapellani dignitatem provecti sunt
 Eivero *suberant*, iterum Hincmari verbis utor, *prudentes &*
intelligentes ac fideles viri, qui praecepta regia - - scriberent,
& secreta illius fideliter custodirent. Hi notarii, & capellani
 etiam, cum pro illorum temporum more sacris ordinibus
 initiati essent, & scribae docti appellabantur. Cancellarium
 vero & protoscribium subinde & eundem praesulem modo
 archicapellanum, modo archicancellarium vocatum legimus.
 Ipsum autem antiquum & praecipuum officium, quod in tra-
 ctandis causis ecclesiasticis ad regem delatis consistebat, sen-
 sim videtur intercidisse, aut saltem neglectum fuisse. Colli-
 gere id licet ex epistola Synodi 858. apud Carisiacum celebra-
 ta, qua petita Ludovico rege Germaniae, cum fratris Caroli
 regnum invasisset, ut hoc munus in palatio restituat (2).
 Si episcopus pro quacunque necessitate ecclesiastica ad vos direxe-
 rit, ad quem suus missus veniat, per quem, quae rationabiliter
 petit, obtineat in palatio vestro, sicut comes palatii est in causis
 reipublicae, ministerio congruo constitutum habere.

capellanus &
 archicancel-
 larius promi-
 scue postea
 appellati.

(1) HINCM. ib.
 (2) cap. 7. ap. SIRMOND. T. III. p. 122. add. MARCA l. c. l. IV.
 e. VII. §. 4.

§. VI. Ut vero de tabularum integritate testaretur ali-
 quis probatae fidei ac autoritatis, regnum ac populi valde in-
 de intererat, quo major fides chartis constaret, ac securi es-
 sent reges, nihil ultra voluntatem suam concedi. Nam ve-
 teres Germani in donationibus, minimum ecclesiasticis, scri-
 pturae curiosi erant (1). Nec in palatio modo sub Francis, archiva
 sed in civitatibus etiam apud templa & monasteria, archiva
 servabantur (c). Opus sane erat circumspectione, cum jam
 tum reperirentur veterum documentorum corruptores, frau-
 dumque artifices, adversus quos pro captu seculi legibus pu-
 blicis remedia passim indicantur (3), abscissione manus in
 crimen

Cur recogni-
 tio dipl. ne-
 cessaria &
 archicapella-
 no demanda-
 ta: varia ra-
 tio subscri-
 bendi.

crimen ipsum statuta (4). Ita Hadrianus II. papa ipsum Hincmarum archiepiscopum Rhemensem, interpolatae bullae papalis graviter accusat (5). Tanta etiam ejus, ne supponantur a propriis legatis & apocriphariis, aut vitentur litera, cura est, ut exempla earum clam per tabellarios praeferat (6), ac ubi forte solenni forma non exaratae sunt litera, ipse excuset (7). Quemadmodum itaque pontificum bullae a bibliothecario aut primicerio notariorum solebant recenseri, ita in regum aula archicapellano omnium, qui literas in aula callerent principi, cura haec maxime conveniebat: praesertim cum pleraque tabulae de rebus ecclesiae, quas regi exponere jam sic officii ipsius erat, conciperentur. Interdum ipsi diplomatibus subscripserunt. Cujus moris diu servati illustria exempla habemus. Caroli IV. enim bullam auream an. 1376. de jure & successione electoratus Saxoniae, Francofurti confectam, Ludovicus Moguntinus S. R. I. per Germaniam archicancellarius recognovit; & Maximiliani I. literas investiturae Württembergicae 1496. datas, ipse Bertholdus, archiepiscopus Moguntinus, subscripsit. Plerumque tamen illorum vicem cancellarius obit, sive in aula non essent, sive aliis negotiis distinerentur. Interdum solus Cancellarius, aut ejus nomine notarius subscribit. Sed haec rarissima (8). A Friderici II. tempore omissum fere solennem subscribendi ritum: sed a Carolo IV. quodammodo renovatum observarunt rei archivarum periti (9).

(1) L. Alem. Ima. *Si quis liber res suas, vel semetipsum ad ecclesiam Dei tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicendi, non dux, non comes, nec ulla persona; sed spontanea voluntate liceat christiano homini Deo servire, & de propriis rebus suis semetipsum redimere. Et qui hoc voluerit facere, per chartam de rebus suis ad ecclesiam, ubi dare voluerit, firmitatem faciat, & testes VI. vel VII. adhibeat, & nomina ipsorum ipsa charta contineat, &c.*

(2) Annal.

- (2) Annal. R. Franc. apud Reubertum ad a. 813. Concilia quoque *jussu ejus, super statu ecclesiarum colligendo per totam Galliam ab episcopis celebrata sunt. Quorum unum Meguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillon, quintum Arclate congregatum est; & constitutionum quae in singulis factae sunt collatio, coram Imperatore in illo conventu habita. Quas qui nosse voluerit insupradictis civitatibus invenire poterit: Quamquam & in archivo palatii exemplaria earum habentur. Conf. IVSTVS FONTANINIV. C. Vindic. Art. dipl. l. 1. c. 2. de archivis & tabulariis ecclesiarum, monasteriorumque, eorumque custodia.*
- (3) Leg. Longob. l. 2. tit. XLI. I. 2. *De cancellariis qui veraces electi sunt, ad homines infirmos veniant, & secundum legem instrumenta chartarum scribant, & a testibus roborentur: & statim cum scripta charta fuerit, ostendatur ante episcopum, & comitem, & iudicem vel vicarios, aut in plebe, ut veraces esse cognoscantur. Adde ib. tit. 55. l. 30.*
- (4) Leg. Longob. l. 1. tit. 29. I. 1. *Si quis chartam falsam scripserit, aut quodlibet membranum, manus ejus incidatur. conf. lib. 2. tit. 55. l. 33.*
- (5) Vid. imprimis *epist. ej. ap. SIRM. in Concil. Gall. T. III. p. 313.* ubi egregius locus de archivis Eccles. Romanae.
- (6) In Ep. ad Ludovicum & Carolum reges ap. SIRMOND. l. 1. p. 272. *quarum exemplaria ne authenticae istarum aut interceptae, aut aquis fortasse d. honestate aut perditae, aut etiam propter quod vobis dubietas credendi generaretur, pro lubitu aliter habitae fuissent, magnitudini vestrae per hunc gerulum transmissimus.*
- (7) Epl. c. p. 272. *Hanc autem epistolam ideo more solito scribi non fecimus, quia & legatus vester sustinere non poterat, & ob festiva paschalia scriminarios nostros, eo quod debitis vacabant occupationibus habere, ut debuimus, non voluimus.*
- (8) De modis subscribendi conf. MABILLON. *de re dipl. l. II. c. XI.*
- (9) Conf. WENCKERVS in noz. ad MALLINKROT. *de archie. in coll. archiv. juribus p. 252.*

Archicapellani regum Germaniae: Ludovici Germanici, filiorumque Ludovici & Caroli: Archicapellani plures simul sub eodem rege.

§. VII. Ut veromelius appareat, quæ olim illius dignitatis ratio in aula fuerit, & quando dividi cancellariæ, ac Germanica soli Moguntinæ sedis tribui cœperit, juvat veterum regum Germaniæ aulas perlustrare. Illi autem & plures subinde archicapellanos, nec ecclesiæ alicujus privilegio, sed proprio judicio constitutos habuerunt. Sub Ludovico Germanico, Pii filio, Cozbalduſ. Gotsvalduſ, abbas Alata, & episcopus postea Herbipolitanus, archicapellanus in dipl. a. 843. vocatur (1). Item Grimoldus, abbas S. Galli archicapellanus fuit (2), nomenque in diplomatibus occurrit (3), qui & ideo in actis de indulgentia Ludovici regis Germaniæ Salomoni & Theodorico episcopis præponitur (4). Sub eodem rege Rhabanum Maurum, Moguntium præfulem, archicapellanus invenisse sibi videtur Mallinkrotius (5). De Luitberto autem, qui tertius a Rhabano fuit, nullum est dubium: mansique sub filio Ludovico II. cui orientalis Francia cesserat, ut subscriptionum formulæ fidem faciunt (6). Eundem & sub Carolo Crasso cum fratri successisset, archicapellani dignitatem retinuisse verisimile est. Licet Carolus jam antea haberet archicancellarium Luitwardum, episcopum Vercellensem, intimæ admissionis amicum. Non audet hic affirmare quicquam Mallinkrotius, sed alia quoque exempla dabimus, conjunctis pluribus regnis archicapellanos, qui sub prioribus regibus fuerant, locum conservasse.

- (1) Ap. GEWOLD. *addit. ad HVNDII metrop. Salisb. T. 2. p. 3.*
 (2) ECKARD. *de cas. monast. S. Galli ap. GOLDAST. S. R. Alem. T. 1. P. 1. p. 12. add. ISO de miraculis S. Otmarii l. 1. c. 3. ib. P. 2. p. 153.*
 (3) Ap. SCHILTERVM *ad chron. KOENIGSH. 4. p. 480.*
 (4) Conf. BALVZ. *not. ad PETR. DE MARCA l. 1. p. 219.*
 (5) *l. c. p. 23.* (6) *Vid. formulas subscriptionum apud CL. PFEFFINGER. ad VITRIAR. p. 1079.*

Archicapellani sub Carolo

§. VIII. Ita Carolomanni Bavarorum regis archicapellanus fuit Theodmarus, Salisburgensis præful, qui & sub Annul

Arnulpho imperatore & filio Ludovico usque ad a. 997. ^{f. manno, Arnulpho, Ludovico.} dem factentibus tabulis (1), eo munere gavissus est. Unde conjectura, expectans tamen diplomatum auctoritatem nascitur; eum & sub Carolo Crasso, cum in Bavaria regno successisset, dignitatem retinuisse. Sub Ludovico tamen prater Theodmarum archicancellarius fuit Rathodus Trevirensis, ut ex diplomate a. 902. apparet (2). Scilicet is eandem dignitatem in Lotharingico regno gesserat, quod a. 900. ob Zvendiboldi regis favitiam & rapinas ad Ludovicum defecerat. Theodmarus in utroque officio successorem habuit Piligrinum. Hatto autem Moguntinus, qui in eadem tempora incidit, cancellarium se tantum appellat (3), qua dignitas quamvis non infra archiepiscopum esset, minor tamen archiepellatonis III. Cancellarium, archiepiscopum jam Colonensem, Petriepiscopi Cumani, archicancellarii nomine diplomata recognovisse (4).

(1) Conf. GEW. l.c. T. II. p. 235.

(2) Ap. BROWER. Ann. Trev. l. IX. §. 50. p. 433.

(3) In tabula donationis monasterio Fuldeni coram rege Ludovico a se facta: in BROWER *Antiqu. Fuld.* l. 3. c. 16. *Ego in Dei nomine Hatto, archiepiscopus & cancellarius has literas iussu meo scriptas, recognovi & manu propria subscripsi.*

(4) de archicancell. p. 35.

§. IX. Sub Conrado I. Piligrinus, Salisburgensis, archicancellarius a. 912. (1) & 913. (2) fuisse legitur. Sub Henrico I. & Henrico Aucupe. uterque occurrit Herigerus, & Hildebertus, Conradi I. frater, postquam Moguntinus (3): & simul Rutgerus Trevirensis (4), uterque Henricus Lotharingas provincias, Gisberto ducem appellato Germania vindicaverat.

(1) In dipl. in *Abirinesberg* (hodie *Heiligenberg* e regione oppidi *Heidelbergensis*) monasterio *S. Michaelis* dato ap. **TOLNERVM** Cod. dipl. *Palat.* n. 16. p. 13.

(2) In

(2) In duobus diplom. altero Chaffella, altero Corbeja dato ap. SCHATEN. *Ann. Paderb.* L. 3. ad h. a. p. 244. 245.

(3) *Conf. firm. ap. PFEFF. l. c. p. 1080.*

(4) MALLINKR. p. 62. ex MIRÆI *Notit. eccles.* c. 35. sed male allegat ejusdem Cod. don. c. 52. & c. 53. ibi enim nil tale habetur.

Sub Ottone I.
plures archi-
capellani eo-
dem tempore.

§. X. Sub Ottone I. pro magnitudine imperii, una plures fuerunt archicapellani: Friderici Moguntini, qui Giselberti, Lotharingæ ducis, frater fuit, nomen reperitur in diplomatibus, usque ad a. 954. quo obiit, & successorem in utroque munere habuit Vilhelmum, Ottonis filium, a. 968. defunctum. Rupertus Trevirensis, Adelheidis Augusta frater, archicapellanus vocatur in diplomate a. 940. (1) itemque in alio, Francofurti 947. confecto, quo Trevirens. ecclesia ab administratione regia eximitur (2). Bruno, imperatoris frater, archiepiscopus Colonienfis, iisdem temporibus archicapellanus fuit. Exstant signata nomine ejus diplomata ab initio archiepiscopatus, usque ad a. 965. quo obiit. Heroldi Salisburgensis archicapellani nomen legitur in diplomate an. 950. quo Imperator in Beheim, suburbio Naumburgensi, prædium quædam monasterio S. Emerani donat (3). Equidem & Henricus archicapellanus occurrit in donatione eidem monasterio, in oppido Saltz a. 940. facta (4). Sed Mallinkrotius merito suspicatus, a librario corruptum nomen, Henricum pro Friderico irrepsisse putat. Verum æque facile ex Heroldo effingi Henrici nomen potuit.

(1) MAB. *de R. D. lib. 11. c. XI n. 10. ex BALDRICI Chron. Camerac.* p. 129.

(2) Ap. BROW. *A. Trev. l. 9. §. 29. p. 476.*

(3) Vid. HVND. *Metrop. Salisb. T. I. p. 227.*

(4) Ap. GEW. *in annot. ad Metrop. Salisb. T. 2. p. 372.*

Mallinkrotii,
qui eos sibi
successisse pu-
tar, sententia
expenditur.

§. XI. Mallinkrotius (1) hos præfules non una archicapellanos fuisse, sed sibi in eo munere successisse contendit, ita ut abrogatam Friderico, defectionem fratris a. 939. sequenti, dignitatem, Rupertus Trevirensis acceperit; cui Herol-

Heroldus Salisburgensis successerit. Huic autem Bruno, & illi demum 965. extincto Vilhelmo. Sed conferenti ætatem præsulum, cum diplomatibus, Fridericum, Rupertum, Heroldum, Brunonem, æquales aliquamdiu & eodem tempore archicapellanos fuisse apparet. Nec Friderico, quantumvis iniquo regi, ademtum munus fuisse, satis testantur diplomata a. 940. 944. 946. 947. 952. 953. 954. confecta. Breve enim exilium ejus, utpote qui jam a. 940. restitutus fuit (2).

(1) l. c. p. 27. sq. (2) Conf. SEKKAR *rev. Mogunt.* l. IV. p. 682.

§. XII. Neque tamen inde concludere licet, jam tum divisos fuisse archicapellanos fines, eosque vel regni particularis, vel ecclesiarum saltem ad suam metropolin spectantium res curasse. Nam multa in contrarium existant. Ex quibus pauca tantum hic annotabo. Diploma, quo Arnulfus, Trevirensis ecclesie, abbatiam S. Servatii Trajectensem, rogante archiepiscopo Rutgero, Francofurtii 889. donat, vice Theodmari Salisburgensis recognitum est (1). Sententia Ottonis Moguntie 953. in causa monasterii S. Maximini lara, ad vicem Brunonis Colonienfis signatur (2), licet tum Fridericus Moguntinus & Rupertus Trevirensis uterque archicapellanus viveret.

An jam sub Ottone certis finibus adstricti fuerint archicancellarii?

(1) In MIRÆI *don. belg. lib. n. c. XIII.*
 (2) Ap. ZYLLESIVM *Defens. abb. 8. Maximini P. I. p. 10.*

§. XIII. Itaque licet Luidbertus archicapellanus, Hatto I. cancellarius fuerit, atramen ab Herigero demum omnes archiepiscopos Moguntinos non interrupta serie simul fuisse archicapellanos ex diplomatibus, quæ hæcenus prodierunt, constat. Neque amplius a Vilhelmo demum initia hujus prerogativæ repetenda sunt; Sed nec a Vilhelmi jam tempore solus Moguntinus privative, ut putat Mallinkrotius (1), eam dignitatem gessit. Nam & post illum Colonienfes Piligrinus, Hermannus, Anno II. una archicapellani fuerunt. Nec ad solam

An Moguntina ecclesie archicancellarius a Vilhelmi temporibus deducendus?

folam Germaniam restrictum habuere officium Moguntini, sed negotia quoque in Italia (2) & Lotharingia (3) gesserunt.

(1) l. c. p. 30. (2) vid. infr. §. 16. (3) vid. infr. §. 18.

Quando Moguntini archicancellarius ad Germaniam restrictus?

§. XIV. Quando vero Moguntini & Colonienfes partiti provinciam, alter Italiam, alter Germaniam obrinuerint, dubium est. Conringius sub Friderico I. factum putat (1), Mallinkrotius ad Henrici V. tempora descendit (2), excitatus subscriptione diplomatis, quo Henricus V. 1122. Calisto investituram episcoporum Germaniæ per baculum & anulum concedit (3), quod Fridericus Colonienfis episcopus, & cancellarius recognovit. Hunc ergo Fridericum ab Henrico V. aut Lothario Saxone, suæ ecclesiæ hanc prærogativam obtinuisse putat. Sed etiam antiquiores origines Italici archicancellariatus infra proferemus, tempus tamen quo præcisè hæc particio contigit, hæctenus ignoratur. Primum novimus Arnoldum, qui ab A. 1153. usque ad 1160. præfuit, Germaniæ archicancellarium vocari (4), quam formulam frequentius jam Christianus archiepiscopus adhibuit. Et eodem tempore, quo Moguntini primum hæc limitatione usi sunt, Colonienfis quoque officium ad Italiam in subscriptionum formulis restrictum legitur (5).

(1) de official. Imp. §. 9.

(2) l. c. p. 41. & 43. n. 8.

(3) quod ex archiepo. Rom. editit BARONIVS & ex eo SCHIL;

TERVVS de lib. Eccl. Germ. l. IV. c. 5. §. 6. p. 562.

(4) ap. GEW. l. c. T. 2. p. 377. (5) conf. infra §. 16.

Archicancellariatus ecclesiæ Colonienfis prima occasio.

§. XV. Secundus in imperio archicancellarius, & quidem administrandis Italiæ rebus, est archiepiscopus Colonienfis. Cujus ecclesiæ antistites, metropoleos suæ auctoritate, partim etiam ingenii dotibus, in Austrasiæ primum, & Lotharingiæ regnis, deinde & in Imperatorum Germanicorum aulis potentes & gratiosi fuerunt. S. Cunibertus episcopus in regno Austrasiæ Dagoberto, post & Sieberto regibus, rector veluti, &

EBRO

& præcipuus consiliarius, una cum majore domus fuit (1), Mallinkrotius etiam donationem Dagoberti S. Landelino factam annoravit (2), quæ ita signatur: *Anso cancellarius, vice Cuniberti archicancellarii recognovit.* Unde & infert, primum reperiri Cunibertum, qui titulo archicancellarii usus sit (3), sed insolens plane & inconveniens illis temporibus hæc appellatio. Rege Lothario II. in Lotharingia regno archicapellanus fuit Guntharius (4). Brunonem archicapellanus supra jam produximus.

(1) conf. *vita ejus ap. GELENIVM de Colon. Agripp. magnit.*

l. 3. §. 2. p. 250. sq.

(2) de *Sanct. Germ. Cancell. §. 1. ex MIRÆII. 2. don. piar. c. 1.*

(3) in *dedicat. operis de archicancell.*

(4) vid. *Acta Concil. Aquisgran. 862. celebr. initio in SIRMONDI Coll. Concil. Gall. T. 3. p. 189. conf. Adventii Episc. Met. episc. ad Nicolaum Papam n. 2. ib. p. 242.*

§. XVI. Sensim vero Colonienfis Italiam sibi vindicavit, & divisim veluti cum Moguntino finibus retinuit. Primus quidem, qui diserte archicancellarium Italiae se vocavit, re-
 pertus est Arnoldus (1). Sed antiquiorem sane hanc ecclesiam dignitatem esse, quam vulgo fertur, arguunt veteræ tabulæ in Italia confectæ, solos Colonienfes archicapellanos memorantes, cum antea etiam alii Italiae episcopi, aut ipsi Moguntini Italica negotia expedivissent. Piligrini archicancellarii nomine signantur duo diplomata, ad ecclesiam Parmensem spectantia, alterum Bambergæ 1035. (2), alterum Augustæ (3) confectum. Successoris ejus Hermanni vice scribitur diploma, eidem ecclesiam ab Henrico III. 1047. datum (4). Equalis autem utrique in Germania, & simul archicancellarius fuit Bardo, A Episcopus Moguntinus (5). Anno similiter 1063. archicancellarius (6) vocatur; Et Annonis quidem maximam sub Henrico IV. in imperio potestatem, in
 Ita-

Quando archicancellarium Italiae re-jure proprio obtinuerit?

Italici imprimis negotiis fuisse, ex illorum temporum historia constat (7). Ita 1162. Guibertum, quem Augusta cancellarium Italiae fecerat, deposuit (8), & 1164. Romam profectus est, ut dubiam pontificis electionem imperatoris nomine examinaret (9). Hi omnes Friderico priores sunt, atque sic de Lotharii Saxonis temporibus scribere potuit chronographus Saxo (1): *Rex celebravit assumptionem S. Mariae in Werzeburh. & inde cum exercitu Longobardorum fines intravit. Et quia archiepiscopus Colonienfis defuit, qui jure debet esse cancellarius in illis partibus, Norbertus archiepiscopus Magdeburgicus huic officio deputatus est.* Hermannum Leo IX. pontifex, Romanae ecclesiae cancellarium fecit, & ecclesiam S. Johannis ante portam Latinam eidem attribuit. Cujus bullae copiam ex antiquis S. Severini in civitate Colonienfi tabulariis, Mallinkrotio fecit Aegidius Gelenius (11). Et extant aliae pontificum Romanorum bullae, non Hermanni modo, sed successoris etiam Annonis tanquam archicancellariorum nomine signatae, quod novum est conjecturae argumentum, jam tum Colonienfi ecclesiae veluti proprium imperii quoque Romani, & regni Italici archicancellariatum factum fuisse.

- (1) *in recognit. diplomatis 1155. apud civitatem Tridentinam Henrico II. episcopo Leodiensi dati. Ego Arnoldus Colonienfis archiepiscopus, regni Italici archicancellarius recognovi. MALLINKROTIVS ex CHAPEAVVILL. Rer. Leod. T. 2.*
 (2) ap. VGHELLVM *Ital. Sac. T. 2. p. 210.* (3) *ib. p. 211.*
 (4) *ib. p. 212.* (5) *vid. formular. subscrip. ap. PEEFF. l. c. p. 1085.*
 (6) VGH. *l. c. p. 354.* (7) *conf. vita ejus a coevo monacho Sigeburgensi scripta in Surii acta S. Dec.* (8) *conf. BARONIVS T. X. ad b. a. n. 10.* (9) *ID. l. c. ad b. a. n. 18. 19.*
 (10) *ad a. 1132. ap. LEIBN. in access. Histor. T. I.*
 (11) *vid. MALLINKROT. l. c. c. V.*

Respondetur
ad objectionem
ex verbis
Hermanni
Contracti,

§. XVII. Nonnulli saltem Henrici III. tempore Colonienfes Italiae archicancellarios nondum fuisse, ex verbis Hermanni Contracti (1) conjiciunt: *Imperator praesules nonnullos confis-*

constituit, inter quos Ravennati ecclesie Hunfridum cancellarium suum in Italia - - - prefecit. Verum hæc nihil auctoritati diplomatum derogant. Distinguaturn modo cancellarius ab archicancellario. Sic & sub Lothario, cum jam certum ecclesie Colonienfis jus esset, Bertulfus Imp. cancellarius consistorio cæsaris, ad Aquas penfiles interfuit (2), Petrus monachus Cassinensis ab eodem imperatore vocatur: Logotheta Italicus, exceptor, cartularius & capellanus R. Imperii (3). Ex quo conjicias, non modo archicancellarios, sed cancellarios etiam cuilibet regno fuisse. Cæterum adhuc sub Henrico VII. & Ludovico Bavaro confecta, etiam de rebus germanicis, in Italia diplomata, AEp. Colonienf. vice recognita sunt (4).

(1) ad a. 1047. p. 328. (2) Chron. Cassinense. l. 4. c. 125. p. 571.

(3) IDEM cod. l. c. 125. (4) vid. formulas ap. VEN-

CKERVM in not. ad MALLINKROT. de archi-cancellariis, in

Coll. Arch. & cancell. juribus p. 279. & 625. 626.

§. XVIII. Archiepiscopus Trevirensis duplicis officii De archicancellariatu archiepiscopi Trevirensis an perpetuus regni Lotharingici archicancellarius
 titulum gerit: Archicancellarius enim per Galliam & regnum Arelatenfe vocatur. Distinctim ergo de utraque provincia agendum. Gallia nomine Belgica venit, cujus maximam partem regnum Lotharicum olim comprehendit. Ejus regni archicapellani olim aliquando fuerunt Guntharius Coloniensis, aliquando Ratbodus, & successor Rutgerus, Trevirenses archiepiscopi. Sub Ottone I. Rupertum archicapellani una cum Moguntino & Colonienfi fuisse, modo notavimus. Sed quando & qua occasione AEpiscopi Trevirenses, gestum interdum a decessoribus officium proprio jure ecclesie suæ vindicaverint, ita ut negotia in iis oris gesta ipsorum nomine perscriberentur, non perinde constat. Neque enim tituli ejus mentio apud historicum, Martino Polono antiquiorem, reperitur (1) & Browerus primo Boëmundo II.

a coarvis tributum invenit. Nam ab Ottonis tempore continuatam per omnes praefules haec in ecclesia Trevirensi dignitatem fuisse, ipse Browerus non audeat asserere (2), adeoque immerito passim in ejus opinionis praesidium citatur. Stant sane in contrarium diplomata, & in illarum regionum oppidis, & de rebus ad dioccesin Trevirensis spectantibus, quae Moguntini nomine recognita sunt. Henrici II. confirmatio privilegiorum monasterii S. Maximini, Aquisgrani 1005. facta (3), Villegisum: privilegium Conradi II. Treveri 1026. datum, Arbonem (4), alia duo ibidem 1056. (5) & 1065. (6) eidem monasterio ab imperatoribus concessa, Luitpoldum & Sigefridum omnes Moguntinos praefereunt.

(1) in Chron. in vit. Ott. III. p. 368. edit. Schilter. 1702. Et licet tres isti Ottones per successionem generis regnaverint, tamen postea fuit institutum, ut per officiales imperii imperator eligeretur: qui sunt septem, videlicet primo tres cancellarii isti, Moguntinensi Germania, Trevirensi Gallia, Coloniensi Italia.

(2) Ann. Trev. P. 2. l. 16. c. 152.

(3) ap. ZYLLESIVM in defens. monast. S. Maximini P. III. n. 19.

(4) ib. n. 22.

(5) ib. n. 24.

(6) ib. n. 26.

Quando Arelatensem archi-cancellarium accepit?

§. XIX. Arelatensis regni archicancellarios sub Fridrico II. adhuc archiepiscopi Viennenses fuerunt (1), quod adjuvat Broweri conjecturam (2). Is enim Arelatensis regni qualemcunque procuracionem, laxato vinculo a Germania sensim discedentis, primum forte Arnoldum II. qui ab anno 1242. - - 1259. ecclesiae suae, magno inter Germanos proceres auctoritate, praefuit, vi archicancellariatus sui, per Galliam suscepisse conjicit. Primo certe Boemundo c. II. qui tertius ab illo, ab a. 1288. ad annum 1299. sedit, & Alberto imperatori, isto 1299. ad quatuor valles cum Philippo Galliae rege foedere, iniquius de regno Arelatensi statuenti (3), constanter resistit, hunc titulum a coarvo scriptore tribui observat. In antiquissimo Cod. Jur. Prov. Alemannici Ambrasiano, quem a Ru-

a Rudolphi Habsb. temporibus in perpetuo usu regiminis Au-
striaci fuisse tradit Lambecius (*de bibl. Vindeb. l. 2. c. 8. p. 825.*)
c. 13. legitur: **Der Bischoff von Trier ist Cansler über**
das Chünichreich Arel &c. Conferantur tamen quæ contra
Lambecium tantam codici antiquitatem asserentem disputat
Ill. Thomasius (4).

(1) conf. infr. §. 54.

(2) Ann. Trev. P. 2 l. 16. c. 156.

(3) Tabulas vide LEIBNITHI *Codice Juris Gentium* p. 42. De
regno Arelatenſi tamen nihil tum in literas relatum: Saltem

illis tabulis nihil continetur.

(4) in *Sel. Feud. §. 48.*

§. XX. Ab eo tempore honos retentus, cum archie-
piscopi modo archicancellarios per Galliam, modo per re-
gnum Arelatenſe sese appellarint. Idem subinde ab impera-
toribus firmatus. Sic Ludovicus Bavarus 1332. ecclesie Tre-
virensi, inter alia privilegia, officium quoque & prærogativam
archicancellariatus Gallie, & regni Arelatenſis confirmavit (1).
Reperitur ea appellatio in Aurea Bulla, quo tempore vis simul
aliqua & effectus, saltem in Gallie Belgicæ oris, consecutus
est. Nam reperiuntur diplomata, ad provincias regni Lotha-
ringie spectantia, quæ nomine archiepiscopi Trevirensis tan-
quam archicancellarii signantur (2). Et licet Arelatenſis regni
mentio nonnunquam in actis publicis, ut in capitulatione Jo-
sephina omiſſa sit, in aliis tamen, atque in ipsa ultima capitu-
latione reperitur.

Tituli confer-
vatio: & officii exerci-
tium.

(1) BROWER. *l. c. l. 17. c. 79.*

(2) Ut (1) confirmatio privilegiorum oppidi Limburgi, Metis
1536. 3. Id. Dec. data. vid. BROW. *l. c. P. 2 l. 17. c. 176. p. 230.*
cui subscript: *Johannes D. G. Lucensis episcopus, sacre imperia-
lis aula cancellarius, vice reverendi in Christo patris ac Domini,
Boemundi Trevirensis archiepiscopi &c.* aderat tamen Mogun-
tinus, qui tanquam testis subscript. (2) Aliud diploma,
Metis 1536. confectum, quo villæ Pontis Moncionis nomen
& titulus civitatis confertur, ap. CHIFLETIVM in *Com-
ment. Lotbar. c. 4. p. 17.* quod cum a. 1372. Fragæ renovaretur
nomine

nomine Moguntini corroboratur *ib. c. 5. p. 20.* 3) Tabulae 1357. Trajecti ad Mosam confectae: quarum subscriptionem ex Gewoldo de Septemvicatu repetit MALLINKR. membr. 3. p. 38. 4) Privilegium Cunoni Aepiscopo Trevirensi a Carolo IV. 1376. 2. Cal. Jun. Bacharaci datum, quod recognovit *Nicolaus Camerae praepositus, vice & nomine Reverendissimi Domini, Cunonis Aepiscopi Treverensis S. R. I. per Galliam & Arelat. regnum archicancellarii. KYRIANDER. rer. Trevir. p. 169.*

Reliqui aule
Carolinae offi-
ciales recen-
sentur: IV.
praecipui fue-
runt archi-
officiales.

§. XXI. Reliquos aulae Francicae officiales primarios Hinemarus sistit: Comitum palatii, camerarium, seneschallum, comitem stabuli, buticularium, mansionarium, venacores principales quatuor, falconarium unum. Auctus subinde numerus in posteriorum regum aula: praecipuum tamen decus penes IV. stetit, mareschallum, camerarium, pincernam & dapiferum. Nam imitati regis domus splendorem principes Germaniae IV. illos ab initio in aula habuerunt. Cujus rei mentio fit in antiqua constitutione (1), quae Carolinam aetatem frustra jactat, ab aliis autem Conrado Salico tribuitur. Certior est speculi Suevici auctoritas (2) & constans usus Germaniae. Olim enim, quoties in ordinem principum aliquis reciperetur, etiam officialium jus obinebat (3), qui honor & episcopis primum, mox & abbatibus nonnullis habitus. Ab illo autem tempore rationes aulicae diversis modis passim mutatae sunt.

(1) ap. GOLDAST. *Const. T. I. ad a. 881 ubi §. 6. singuli principes habeant officarios speciales, mareschalcum, dapiferum, pincernam & camerarium &c.*

(2) P. I. t. 63.

(3) vid. *diploma comiti Gelriae cum dux appellaretur, datum, in LEIBNIT. Cod. Jur. Gent.*

Quae fuerit
horum archi-
officiorum
ratio?

§. XXII. Initio quidem non fuisse inanes titulos satis apparebit: Sed multae occupationis officia. Ministerium autem, quod accumbenti regi praestant, in solennibus tantum epulis

epulis honoris causa adhibitum videtur. Ubi notandus antiquus in principum etiam aulis mos, ut ex equo partes suas peragerent, quem vetusta sigilla dapiferi, pincernæ, marschalci & camerarii hereditarii Austriae produunt (1).

(1) Vid. Ill. Auctor Comm. de hæred. provinc. Austr. officialibus c. 1. in Ej. Collect. General. Histor. p. 266.

§. XXIII. Hereditaria officia in Carolinis temporibus ^{An hereditaria ab initio fuerint?} nemo qualiverit. De posterioribus dubios reddit Vipponis locus (1): *In dispositione curiali, quem Rex (Conradus II.) majorem domus statueret, quos cubiculariorum magistros, quos infertores, & pincernas, & reliquos officarios ordinaret, diu non est supersedendum.* Neque tamen M. Linkrotio assentior, qui in singulis olim curiis, alios pompæ instruendæ principes electos fuisse suspicatur. Videntur enim statim, ex quo hereditarii facti sunt principatus, officia quoque ad posteros transisse: Ut principes ipsi hereditarios officiales dudum habuerunt. Sed hac de re alibi fusius.

(1) de vita *Conradi Salici* ap. PIST. p. 428.

§. XXIV. Antequam ad specialia descendamus, jure ^{Legabantur ex diversis provinciis.} probabitur ex Hincmaro notasse, Caroli M. prudenti instituto ex diversis provinciis populis, quibus imperabat, præcipuos aulae ministros lectos fuisse, ut singuli patronum e civibus suis apud regem haberent: & rex facilius provinciarum necessitates cognosceret.

§. XXV. Apud Germanos pocula ministrare honorificum ^{Pincernarum apud antiquos Germ. dignitas.} valde fuit, & apud Longobardos quidem nec ipsas reginas ministerii puduit. Sic Autharis rex, legatum regis simulans, Garibaldo Bavarorum regulo, visâ filia Theodolinda quam procabatur, de ejus manu inquit, sicut nobis postea factura est, vini poculum sumere præcipitur (1). Et si vera est Petri Panti conjectura (2), in Gothorum aula comitem Scanziarum appellatum fuisse, quem Franci buticularium vocarunt, plures illustres viri pincernæ fuerunt. Nam uni concilio Toletano V. comites, Scanziarum, ex quibus IV. ducum quoque titulum adji-

adjiciunt, subscribere (3). Buticularii seu pincerna praefecti erat, providere, ne quid deesset cella regis, cui attributa erant vinea. In divisione filiorum Ludovici pii Germaniae regi Ludovico, quamvis limes regni Rhenus esset, tamen Moguntia, Wormatia, Spira, cum pagis suis propter vinum adjucebatur.

(1) PAVLI DIAC. l. 3. c. 31.

(2) de dignitate & officii regni, ac domus regis Gotorum in Hisp. illustr. T. 1. p. 198.

(3) vid. Acta Concil. Tolet. VIII. in Cardinalis de AGVIRRE Concil. Hisp. T. II. p. 549.

Qui post Carolingos pincerna?

§. XXVI. Qui post Carolingos praefecti pincernis fuerint, iterum non satis constat. In Ottonis I. inauguratione Hermannus (Francus an Suevus disputant) pincernis praefuit (1).

In Ottonis III. curia Hezilo Palatinus ad cellariam servus (2).

(1) VIDECHINDVS ann. l. 2. ap. Meibom. p. 643.

(2) DITMARVS l. c.

Quando ad Bohemos pervenerit? an sub Ottone III?

§. XXVII. Quando ad Bohemos principes perpetuum hoc officium pervenerit, variae sunt opiniones, Goldastus scribit (1): Ottonem III. archipincernam fecisse Bohemiae ducem, Henricum II. confirmasse, idque populi romani nomine ratum gratumque habuisse Gregorium V. & Sylvestrum II. Verum nullo idoneo auctore nititur. Equidem jam in electione Henrici II. & Conradi II. autoritas aliqua Bohemi fuit. Sed tum nondum archiofficiales electionem sibi vindicaverant, neque inde pro pincernatu quicquam concluditur.

(1) de Regno Bob. p. 310.

An sub Felde-rico I?

§. XXVIII. Rudolphus I. in diplomate 1290. in gratiam generi Venceslai confecto (1) testatur, se adhibita diligenti disquisitione omnium procerum & senum testimonio comperisse, pincernatus & electoratus hereditarium jus, Venceslao, ut Bohemiae regi, competere, & jam progenitoribus ejus, ab avibus, atavis, proavis, avis competiisse. Ex quo testimonio nonnulli

Vladislaum, quem Fridericus I. maxime sibi carum a. 1158. regem appellavit, primum dignitatis auctorem eruunt (2). Sed ille procerum senuque laudatus hic consensus, contraria procerum auctoritate, ut poterant in istis tenebris incerta traditiones publice jactari (3), pene eliditur. Nam ipse Rudolphus an. 1275. in comitiis Augustanis testatus est (4), duces Bavariae, Ludovicum & Henricum, publice contra Bohemum, quod sibi ratione ducatus Bavariae, ex antiqua consuetudine, suffragium in electione competat, quodque illud in electione Richardi. & in ipsius Rudolphi electione, excluso a reliquis electoribus Bohemiae legato, tulerint, asseruisse. Sub Philippo piacernano nondum fuisse Bohemum, arguunt fere, quae de prima ejus solenni curia Arnoldus Lubecensis refert (5). Bojemo (erat is Pribizlaus) etiam major dignitas accessit, ut cum antea ducatum teneret, titulo regio a Philippo sublimatus, ibi & ipse proceret coronatus, & gladii reguli bajulus (6).

(1) ap. GOLDAST. de Regno Bohem. app. docum. p. 31.

(2) CONRINGIVS de official. §. 15. & post plures alios IORDANVS in disp. de archiepiscopatu & connectione regni Bohemiae cum Imperio R. Germ. Prag. 1716. habita cap. II. §. 7.

(3) Alii hic distinguunt inter possessorium & petitorium, atque sic utrumque rescriptum conciliant. Ill. THOMASIVS in select. feudal. §. 49. lit. g. distinguit inter Rudolphum hostem Ottocari & socerum Venceslai.

(4) ap. GEWOLDVM de Septemviratu. (5) L. VI. c. 2.

(6) conf. tamen de ritu gladium regium praeferendi iastr. §. 35.

§. XXIX. Qui rem germanicam in V. ducibus semper An imperio
 stetisse existimant, quorum unus rex fuerit, reliqui IV. archi- ad Suevos de-
 officia aulae, illorumque jure praecipua reipublicae negotia lato ?
 administraverint, certas nobis Bohemici officii origines polli-
 centur. Suspiciantur, delato ad Suevicam familiam imperio,
 ducatum Suevicum exspirasse, nec fuisse in Germania nisi III.
 provinciarum duces, Palatinum, Saxonem, (qui & Bavariam
 tene-

teneret) Brandenburgicum, qui in Francorum locum successisset. Necessario itaque IV. archiofficium ab extraneo interim exerceri debuisse, & sic primum illud in Friderici electione Bohemix Ducem exercuisse. Verum electo Conrado III. nihil mutatum in Suevico ducatu fuit, quem frater Fridericus Cocles regebat. Et huic 1147. patris beneficio successit filius Fridericus, ut adeo, cum post mortem Conradi novus eligi deberet rex, non deesset Suevis dux. Ne Friderico quidem electo cessavit ducum series. Nam is 1167. filium sibi cognominem Suevix ducem fecit (1). Et quis ignorat eum ducatum in Hohenstauffia familia ad Conradum II. usque, quem Conradinum vulgo vocant, perstitisse, quem si annexum habuit archiofficium, ea prerogativa Imperatores non facile spoliaverint.

(1) OTTO de S. BLASIO *ad b. a.*

Origines archidapiferatus.

§. XXX. Archidapiferi officium apud Hincmarum Senescali nomine comprehenditur. Apud alios autem veteres scriptores prapositus regia mensæ, princeps coquorum, & infertor ciborum appellatur, quæ synonyma (1), una cum ministerio, quo in solemnibus curiis dapiferi funguntur, satis ostendunt Germanicam vocis *Truchseß* originem, ut minime opus sit Suecicas antiquitates sollicitare, atque inde Drotsetum, seu judicem regis in Germaniam deducere (2). Mensæ autem regia cura tanto olim amplior fuit, quod reges pro antiquo Germanix more (3), ministris & vasallis, qui in comitatu essent, de victu prospicerent, & epulis adhiberent. Unde sæpius convivæ regis apud rerum Merovingicarum scriptores celebrantur. Talis erat Cundo, quem Fortunatus scribit a tribunatu ad comitivam, a comitiva ad domesticatum pervenisse, ac demum inter potentes federe jussum, & Sigberti regis factum esse convivam (4), quam consuetudinem sub Carolo M. adhuc durasse ex Hincmaro patet (5), & Eginhardus etiam

etiam testatur (6). Quamvis autem Otto III. mutato patrio more solus accumbere, non satis aequae ferentibus initio proceribus, inciperet (7), magna tamen in curia hospitalitas mansit. Sic in splendida Friderici I. curia Moguntina, culinæ apparatus, inter alia historicus miratur (8).

- (1) conf. PFEFFINGERVS ad VITRIAR.
- (2) quod faciunt THVLEMARIVS de Octovir. p. 185. 186. TOLNERVS Hist. Pal. c. 5. §. 10. p. 172. aliique plures.
- (3) TACITVS de moribus Germ. c. 14. Exigunt enim (comites) principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epule, & quanquam incomti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt.
- (4) plura vid. ap. HERT. Nor. Ver. Fr. R. c. 3. (5) l. c. §. 27.
- (6) de vita Caroli c. 24. Convivabatur rarissime, & hoc præcipuis tantum festivitatis, & tunc tamen cum magno hominum numero.
- (7) DITMARVSI. IV. p. 357. T. I. S. R. Brunsvic. Imperator antiquam Romanorum consuetudinem jam ex parte magna deleram, suis cupiens renovare temporibus, multa faciebat, qua diversi diversimode accipiebant. Solus ad mensam quasi semicirculum factam, loco ceteris eminentiori sedebat.
- (8) ARNOLD. Lubec. l. 3. c. 9.

§. XXXI. In coronatione Ottonis I. Eberhardus orientalis Franciæ comes mensæ præfuit. Gewoldus (1) ut Bavariæ ducis semper dapiferos fuisse probet, intelligi hic vult Eberhardum, Arnulphi ducis Bavarix filium, qui & ipse Baviarum affectavit, & provocat ad verba literarum Leonis VII. (2) Præter hæc Eberhardo duci Bavaricorum nostra auctoritate injungimus, ut præfato Gerardo archiepiscopo in omnibus auxilium præbet. Sed tempore coronationis vivebat adhuc Arnulphus: nec quicquam impedit Eberhardum nostrum Conradi I. fratrem, comitem palatii intelligere (3). In curia Ottonis III. Quedlinburgensi Henricus, Bavarix dux, mensæ, Hezilo, comes palatii cellæ curam gessit.

- (1) de Septemvir. c. 10. (2) existant ad fin. Chron. Reichenpergensis p. 8. seq. (3) conf. de eo TOLNERI Hist. Pal. c. 7.

Quando Co-
mites Palatini
hereditario
jure dapiferi
facti?

§. XXXII. Quando autem ad comites Palatinos Rheni hereditario jure hoc officium pervenerit, nec ipsi quidem Palatina olim dignitatis acerrimi vindices definire ausi sunt. Et anceps est quaestio, utrum hoc officium comiti Palatino Rheni proprium jam fuerit, antequam ad familiam Bavaricam Palatinatus perveniret. Nam Bavari, auctore imprimis Gewoldo (1), duces suos, ratione ducatus, una cum jure eligendi regem, archiofficium quoque habuisse, eamque dignitatem a Bavaricis principibus, familiae jure in Palatinatum Rheni demum illatum esse contendunt: eumque ex pacto alternis vicibus utraque gens fungi eo debuisse, Palatinam solum id sibi faventibus satis asseruisse. Si ex supremis aulae Bambergensis officii imperii concludere licet, dapiferatum collabente Suevia ducum familia, ad Bavaricam domum pervenisse aliquis existimet. Exstant literae Berchtoldi, episcopi Bambergensis, quibus an. 1269. Ludovicum ducem Bavariae, comitem Palatinum Rheni, utriusque gentis factorem, dapiferum ecclesiae suae (2) investit: *Eidem, & heredibus suis, officium dapiferatus ecclesiae nostrae, quod ad nos est libere devolutum, cum omnibus honoribus, dignitatibus & juribus, prout in charta recordationis Fridericus Rom. Imperator, ab ecclesia nostra, tempore quondam domini Ekeberti Bambergensis episcopi, praedecessoris nostri tenuit, cum omnibus feudis, ipso officio annexis, feudali titulo duximus conferendum.* Terra autem officio attributa, quae in diplomate postea recensentur, pleraque jam antea a Conrado Sueviae duce, Ludovico huic, & fratri ejus Henrico avunculis suis, partim donata, partim in solutum datae erant. In actis coronationis Vilhelmi, Bavariae dux, Palatii comes, nominatur dapifer. Sed jam tum de Suevica familia in Germania modo non actum erat. Verum utcumque antiqua illa se habeant, Rupertus C. P. R. in possessione archiofficii & electoratus a Carolo IV. consensu collegii electoralis 1356. confirmatus est (3), quam dispositionem confecta paulo

paulo post A. B. sequitur. Sed translato in Bavaricam domum electoratu, archidapiferi quoque officium illa sibi vindicavit. Cessit tandem ipse Carolus Ludovicus 1651. (4) in cuius gratiam novum archithesaurarii officium Imperator constituit, eique Pragæ 1652. in solenni feudorum investitura contulit.

- (1) de Septemvir. c. X.
- (2) ap. GEWOLD. l. c.
- (3) diploma datum Norimb. V. ser. post epiphan. exstat ap. GEW. de Septemvir. c. 10. & passim alibi.
- (4) vid. Theatr. Europ. T. 7. ad a. 1651. p. 10.

§. XXXIII. Archimarescalli officium ex Romana aula Mareschallatus origines Germanicæ. cum Vagenseilio aliisque deducere non opusest, neque præfecto prætorii omnino respondet. Fuerunt sine dubio bellicosissimis Germanorum Regibus, qui rem equestrem, castrorumque disciplinam observarent, ipsumque nomen Germanicos natales refert. Apud Longobardos, qui stabuli curam, quod nobilissimum erat officium, gerebat, Marpahis vocabatur, ut ex Paulo Varnefrido patet. Alboinus enim rex Gifsum, suum nepotem, virum per omnia idoneum, quem Lingua propria Marpahis appellant, Forojuliane civitatis, & toti regioni illius ducem præfecit (1). Idem Cunibertum regem cum stratore suo, qui lingua propria MARPAHIS dicitur, intima communicasse consilia narrat (2). Eadem forte dignitas apud Gothos aliosque Germanicæ originis populos eum latine exprimens esset, comitis stabuli, retentum a Romanis vocabulum adhibitum fuit. Sic inter præcipuos aulae Carolinæ ministros comitem stabuli quoque Hincmarus ponit.

- (1) PAVL. de gest. Longob. l. 2. c. 9. p. 780. edit Grot.
- (2) Id. l. 6. c. 6. p. 898.

§. XXXIV. Sed ut sunt mutabiles munerum antico. An archimarescalli idem hodie quod olim comitis stabuli officium? ubi de antiquo stabuli comite factum est. Ita ut mansionarii simul & quasdam seneschalli partes complectatur. Seneschalli officium

seneschallo &
mansionario.

ciūm ita describit Hincmarus (1): *Ad tres ministeriales, seneschalcum, buticularium & comitem stabuli secundum uniuscujusque ministerii qualitatem vel quantitatem pertinebat, ut cum communi consensu de suo quisque ministerio admonendi non essent segnes, ut quantocius esse potuisset, omnes actores regis prescirent, ubi vel ubi rex illo, vel illo tempore, tanto vel tanto spatio manere debuisset, propter adductionem, vel preparationem: ne forte tarde scientes, dum inopportuno tempore, vel cum nimia festinatione eximeretur, familia regalis per negligentiam, sive necessitate opereretur. Quae videlicet cura, quanquam ad buticularium vel ad comitem stabuli pertineret, maxima tamen cura ad seneschalcum respiciebat, eo, quod omnia cetera praeter potus vel victus caballorum ad eundem seneschalcum respiciebant. Hodie autem archimareschallus annonam moderari in solennibus electionum comitiis solet.* Alphonfus electus Imperator idem officium definiuit, in literis investiturae Friderici ducis Lotharingiae Toleti 1278. datis (2): *Debes esse summus seneschaleus in aula nostra circa Rbenum, & debes nobis servire in annualibus festis de primo ferculo equus. Et si contigerit nos ire ad parlamentum cum armis, contra regem Franciae, debes facere nobis antecustodiam in eundo, & retrocustodiam in redeundo. Et debes nobis praestare in terra dicti ducatus, forum de necessartibus & victualibus. Et si contigerit, nos ire ad praelium circa Rbenum, debes habere primum conflictum, & debes facere nobis antecustodiam in eundo & retrocustodiam in redeundo &c.* Quis hic non agnoscit jura in expeditione militari mareschallo hodie propria? Et fallor, aut inde etiam fluxit, quod olim in solennibus curiis, dum epulae regis instruerentur, mareschallus non modo triclinium curaverit, inferrique cibos iusserit, sed ante pincernam quoque & dapiferum officio suo functuros, velut introducturus inesset (3). Mansionarii autem erat providere, ut quocumque rex movisset, parata hospitia inveniret: quae hodie sub mareschalli auspiciis a metatore tribuuntur. Ut autem in Gallia comitis stabuli nomen, quamvis paulisper inflexum in connistabilem, praecipuz in aula digni-

dignitatis mansit, ita Germani marschalci nomen retinuerunt. Namque multa in Germania officia archimarschalci sunt, quae in Gallia conestabilis fuerunt (4).

(1) l. c. §. 23. (2) in LEIBNITHI *Cod. J. G. D. P. i. n. XIII. §. 2 p. 29.*

(3) ut in coron. Maximil. II. vid. *acta ejus apud. GOLDAST. Reichshandl. 269.*

(4) conf. IO. TILIVS *Comm. de rebus Gall. 2. p. 156.*

§. XXXV. Sed neque archimarschallorum sub diversis Germaniæ regibus series pertexi potest. In Ottonis I. inauguratione has partes egit Arnulphus Bavarorum dux; In curia Ottonis III. Quedlinburgi paschatos festum celebrantis Bernhardus Saxoniae dux. Vidi etiam nonnullos Boleslaum Slavorum ducem marschallum, ex male intellectis Ditmaribus facere. Ita autem ille (*), *In curia (pentecosten) vigilia Boleslaus cum securitate obsidum apud se relictorum venit, & optime suscipitur. In die sancto manibus applicatis miles efficitur & post sacramenta regi ad ecclesiam ornato incedenti armiger habetur.* Sed illa de antiquo militaris disciplinae ritu capienda sunt: quo armigeros primum agere debebant militarium insignium candidari, antequam solenni vocabulo milites appellarentur. Lothario Saxoni Imperatori 1135. in curia Martisburgensi Boleslaus dux Poloniae gladium tulit (1). Eidem Daniæ rex gladium in solenni processione prætulit (2). Friderico I. 1152. Martisburg pentecosten celebranti Dan. rex, Sueno, qui & Petrus vocatus fuit, ipse coronatus gladium prætulit (3). Philippo primam curiam celebranti novum Bohemiae regem id officii præstitisse supra §. 28. annotatum fuit. Licet Bernhardus Saxoniae dux easdem Philippi partes sequeretur (4), neque tamen ex unico ejusmodi actu ipsum officium statim iis principibus tribuendum est. Quis enim credit Boleslaum, Canutum aut Suenonem revera officium aliud quod aulicum gessisse. Forte exteris principibus majestatem Imperatoris veneraturis facile concedebant officiales, quorum

Qui post Carolingos marschalli fuerunt: an qui gladium prætulisse Imperatoribus leguntur, marschalli etiam officium gerendi sunt?

alias illæ partes futuræ fuissent, ut procedenti Imperatori adessent, speciemque aliquam obsequii præ se ferrent. Et regibus quidem gladium præferre eo magis conveniebat, quod regnatum porrecto gladio tradi solerent (5).

(*) l. VI.

(1) Chron. montis sereni ad h. a. *Imperator assumptionem S. Mariæ in Merseburg celebrat, ubi Bolizlaus dux Poloniæ, & Obibriticus, dux Bohemiæ, cum cæteris principibus adfuerunt, ubi etiam Bolizlaus gladium Imperatori reportavit.*

(2) OTTO FRIS. in Chron. ap. Vrtis. l. 7. c. 19.

(3) IDEM l. 2. c. 5. *de gestis Frider.*

(4) *conf. epist. procer. Germ. qui Philippum elegerant ad Papam.*

(5) OTTO FRIS. l. c. 5. *Est enim consuetudo curiæ, ut regna per gladium, provincia per vexillum a principe tradantur vel recipiantur.*

Quando ad
Saxoniam du-
ces heredita-
rium hoc offi-
cium perve-
nerit?

§. XXXVI. Saxoniam duces, pro magna, qua in Germania pollebant dignitate, semper aliquod etiam ex præcipuis aulae officiis obivisse, nemo temere negaverit. Bernhardum sub Ottone III. marescallum fuisse constat: nulla autem documenta exstant, ex quibus ablatam ab ejus successoribus dignitatem fuisse probes. Inmutatio forte quædam consecuta est, cum in Guelphis Saxoniam & Bavariam ducatus conjungerentur. Proscripto tamen Henrico Leone, una cum ducatu Saxoniam archimarescalli quoque officium a Friderico I. in Bernardum Afcanium translatum Conringius putat. Cujus non improbabilem conjecturam plures sequuntur. In actis coronationis Wilhelmi, Saxo jam expresse marescallus vocatur, a quo tempore non interrupta possessio. In domesticis autem Saxonum monumentis parum adhuc lucis, quæ tenebras discutiatur, invenitur. Rudolphi tantum I. Alberti II. filii literæ exstant, quibus se archimarescallum appellat (1). Nec ab eo tempore turbati jus suum passa est serenissima familia. Equidem in coronatione Venceslai 1372. Aquisgranum per-

peracta, Venceslaus Lotharingæ inferioris seu Brabantia & Luxemburgi dux, ducatus sui jure, præferre gladium regi voluit. Gladiatores enim imperii nonnunquam appellantur Brabantia duces (2). Sed acriter resistebat Saxoniz elector, jamque ad arma concurrebatur, cum Carolus filium Sigismundum, ne discordia moraretur festivitatem, præferri sibi gladium juberet (3): uti quidem rem narrat auctor Chronici Belgici, ex ipsius Sigismundi ore. Sed idem Imperator, in diplomate, quod mox citabimus, Saxonem causâ tum vicisse filiumque Rudolphum patris vice prætulisse nobis memorat. Est id diploma, quo 1415. denuo jus hoc electoribus Saxoniz confirmavit (4). Verum Brabatinus non tam officium quam speciale aliquod ejus officii jus in dubium vocavit.

(1) conf. Dn. REINHARDVS *de offe. dom. Sax. f. n. §. 17.*

(2) conf. CHIFLETIVS *in Comm. Lothar. c. 23. p. 98.* qui tamen fallitur, cum Venceslaum communi marchionatus jure hoc postulare potuisse credit. Supponens marchiones gladio, & duces vexillo investitos fuisse.

(3) *Magn. Chron. Belg. ad b. a. ap. PIST. p. 326.*

(4) vid. *Reichs-Archiv. P. spec. IV. Abth. II. Abschn. 2. §. 11. p. 5.*
conf. PERILL. *AVCT. des Europäischen Heroïds T. I. p. 250.*

§. XXXVII. Camerarii, cujus partes in Merovingorum ^{Camerarii} _{antiquum officium.} aula domesticus (1) obiit, gravissimum fuit officium, cum Germaniz reges ampla in regno domania, & pingua fisci jura haberent. Dum reges bella, & negotia publica tractabant, regina, utpote non in thalamum modo, sed administrationem etiam reipublicæ adscita, ararium & domesticum decus curabant. Quod ex Agobardo Lugdunensi episcopo constat. *Cum Christianissimus, inquit, & piissimus Imperator dominus Ludovicus, bono conjugis, fide & moribus sibi congruentis, consortium amisisset, necesse fuit, ut aliam sibi acciperet, quæ ei posset esse adiutrix in regimine & gubernatione palatii & regni* (2). Huic curæ sublevandæ additus erat camera-

rius, de quo diserte Hincmarus (3). De honestate palatii seu specialiter ornamento regali, nec non & de donis annuis militum, absque cibo & potu, vel equis, ad reginam precipue, & sub ipsa ad camerarium pertinebat: & secundum cujusque rei qualitatem ipsorum sollicitudo erat, ut tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid dum opus esset, ullatenus opportuno tempore defuisset. De donis vero diversarum legationum, ad camerarium adspiciebat, nisi forte iubente rege, tale aliquid esset, quod reginae ad tractandum cum ipso congrueret. Haec autem omnia, & his similia eo intendebant, ut ab omni sollicitudine domestica vel palatina, in quantum rationabiliter & honeste poterat, dominus rex, omnipotenti Deo spem suam indefinenter committens, ad totius regni statum ordinandum vel conservandum, animum semper suum promptum haberet.

(1) de domestici officio erudite HERTIVS *Not. Vet. Fr. R. t. 3. §. u.*

(2) *apolog. profl. Ludovici §. VIII. oper. T. 2. p. 61. adde §. V. & IX. SCHILTERVS. eum morem & sub Saxonibus Impp. durasse suspicatur, & testimoniis nonnulla affert lib. 1. tit. 16. Instit. Jur. Publ.*

(3) *l. c. §. XXII. p. 209.*

Qui archie-
merarii post
Carolingos ?

§. XXXIIX. Qui sub Germaniae regibus, praesertim post Carolingos camerarii fuerint, antequam ad Brandenburgicos ea dignitas perveniret, non constat. Videchindus monachus (1), cum Ottonis I. inaugurationem describit, camerarii quidem disertis verbis non meminit: *Duces administrabant: Lothariorum dux Giselbertus, ad cujus potestatem locus ille (Aquilgranum) pertinebat, omnia procurabat. Eberhardus mense praerat, Hermannus Francus pincernis, Arnulphus equestri ordini & eligendis locandisque castris praerat. Nisi Giselbertus una & camerarii partes peregrisse dicendus est (2). Et erat certe camerarii de honestate palatii providere. In curia Ottonis III. Quedlinburgia. 1000. Conradus Suevus camerarium egit.*

(1) *Ann.*

(1) *Ann. 2. init.* ap. MEIBOM. p. 246.

(2) CONRINGIVS *de official. Imp. S. XII.* dissent. BOECLERVS
in *Hist. Sec. X.* in Ottone I.

§. XXXIX. Quin nec de tempore, quo primum Marchiones Brandenburgenses huic officio admori fuerint, certo constat: Quanquam id sub Friderico I. factum verisimile sit. Trahunt huc locum ex epistola Alexandri III. R. P. ad archiepiscopum Eboracensem, & episcopum Dunelmensem (1), qua illos de conciliato sibi Imperatore certiores reddit. Refert enim, quod de mandato Friderici, filius marchionis Alberti, vir nobilis, magnus & potens, & camerarius ipsius imperatoris, presentibus principibus ecclesiasticis & etiam secularibus Teutonici regni, pacem in anima ejus, una cum Colonienf, Magdeburgensi & Moguntino archiepiscopo sacramento firmaverit. Hæc in Ottonem I. qui patri Alberto Urfo 1170. successit quadrant. Neque tamen dissimulandum, historicum Anglum, qui eas literas nobis servavit, non filium marchionis Alberti, sed Albertum marchionem in sua historia nobis narrare (2), etsi is facile in nomine aberrare potuit. Alius est Arnoldi Lubecensis locus, neque tamen ipse ultra conjecturam trahendus (3). Nam ille curiæ a Friderico I. Moguntie celebratæ pompam describens: officium, addit, *dapiferi, seu pincerna, camerarii, seu mareschalli, non nisi reges, vel duces, aut marchiones administrabant.* Sane sub Suevis Imperatoria gens, quæ multum splendoris & potentia intulit Marchia, inter illustrissimas clara, & apud Augustos gratiofa fuit. Alberto jam ducatum Saxonie, infestus Henrico superbo Conradus destinaverat. Isque magna semper inter Saxonie principes autoritate fuit (4). Ipse Otto gloria militari & in provincia sua, & in exercitu Imperatoris clarus fuit (5). Alter frater Sigfridus, archiepiscopus Bremensis fuit. Alteri Bernhardo, Fridericus Saxonie ducatum, proscripto Henrico Leone, 1179. dedit.

Quando ad March. Brandenburgenses id officium pervenerit?

- (1) ap. ROGERVM DE HOVEDEN *Ann. Henrici II. part. II. in Collect. Ser. Rer. Anal. Savilianap. 569.* ed. Francof. 1601. f.
 (2) l. c. p. 578. (3) lib. 2. c. 9.
 (4) HELMOLDVS *Chron. Slav. l. 1. c. 72. & 73. p. 167. edit. Lubci.* ubi inter alia: *dissensio que erat inter ducem (Henricum Leonem) & marchionem (Albertum) sedari non poterat, eo quod principes elati, Regis adhuc recentis monita parvi penderent.*
 (5) conf. ARNOLDVS LVB, l. 1. c. 34. p. 293.

An sub Lothario Sax. extinctis Franconie ducibus.

§. XL. Non contenti alii hac antiquitate altius ascendunt, & non modo tempus, sed & causam collati officii definiunt. Idem illi, qui officia hæc semper a IV. majorum provinciarum ducibus administrata fuisse supponunt. Extincto enim cum Henrico V. Franconie ducatu, & Saxonia Bavaria duci a Lothario Imperatore commissa, non superfuisse in Germania liberos principes arguunt, qui in vacuum officium succederent, præter Brandenburgicos. Tum itaque Palatino, Suevo & Bavaro in regendis aula officiis accessisse Brandenburgicum. Quæreret hic forte aliquis, cur non alterutrus Lotharingie ducis ratio haberi potuerit, etiam si de Zaringieis fileamus, potentissimis tamen principibus, deque novo Thuringie Landgravio, quem socer Imperator a 1130. adeoque ante præfectum Saxonie Henricum, in principum ordinem receperat. Sed hoc maxime conjectura obest, quod Franconie ducatus cum Henrico V. minime extinctus fuit. Is enim ut Vurtzburgensem episcopatum deprimeret, Franconie ducem 1166. constituit consobrinum Conradum (1), qui jam mortuo Henrico a nonnullis rex appellatus, prævalens tum Lothario demum successit. Is quoque eundem ducatum reliquit filio Friderico, qui a sede Rotenburgicus plerumque vocatur. Cum autem is 1167. in ætatis flore obisset, Fridericus I. Imperator filium Conradum, tertio loco natum, Franconie ducem appellavit (2). Is est Conradus, quem ita alloquitur Guntherus (3);

Not

*Nec tu regisico Chunnadi nomine clarus
Ac verus virtute nepos, cui scdere certo
Nominis & juris succedens, Francona rura
Herbipolimque regis.*

Et sic servato in familia sua Franconia ducatu, archiofficium quoque non dimissuros fuisse Imperatores crederem, si proprium illi fuisset, ac tantæ jam tum in regno dignitatis, ut eligendi prærogativa inde penderet.

- (1) VRSBERGENSIS ad h. a.
- (2) vid. OTTO DE S. BLASIO ad h. a.
- (3) in *Ligurino* ap. REVBBERVM p. 277.

§. XLI. In veterum regum aula cum adhuc essent opes Theaurarii regia, regina & camerarius fisci curam gerebant. Novo au- origo & officium, tem archithesaurario, ejus officii originem §. 38. attigimus, in publica imperii inopia, saltem partes quædam in coronationis solennibus demandandæ erant. Coronam itaque in sola ad templum processione præfert: quod vi A. B. liberum erat Imperatori, cui vellet principi committere. Peracta coronatione missilia spargit, quod quondam a præcipuis Imperatoris ministris fieri solebat. Cum coronæ petendæ causa Romam Imperatores ingrederentur, aliquis ex camerariis seu dispensatoribus ejus missilia spargebat (1). In coronatione Ferdinandi IV. Palatinus officii sui esse asseruit, coronam capiti demere, quod Brandenburgicus & Bohemus sibi vindicabant (2). Insignium loco clavis aurea initio proposita fuit (3), sed tandem corona Imperialis data.

- (1) PETR. DE ANDLO l. 2. c. 6. De missilibus agit THVLEMA-RIVS de offiv. c. 28. tot.
- (2) conf. inf. §. 45.
- (3) Theatr. Europ. T. VII. p. 6.

§. XLII. Comitum palatii in specie sic dicti, officium Comitum Palatii antiquum officium a majore domus diversum, allicum olim fuit, magnæque dignationis, cum causas forenses, quæ regis decisionem requirebant, vel ipse expediret.

et. II. in
a. f.

Lubi.
nricum
vat. a
darent.

aceen-
cii de-
orum
tincto
avaria
ste in
ficiam

atino,
ndem-
urcius

ringi-
novo

adeo-
ordi-
quod

t. Is
anco-
qui

stenti
catum

inque
ride-
atum,
m ita

Nec

ret, vel si majoris momenti essent, ad regem deferret. Hincmarus quale fuerit officium in Caroli M. aula, accurate describit: ex cujus verbis apparet, neque tum comitem palatii ejusdem fuisse auctoritatis, qua majores domus sub Merovingicis gavisi fuerant, neque praefecto praetorii, aut europalati omnino respondere, quae tamen ut ejusdem plane officii appellationes nonnulli usurpant. *Comitis autem palatii (verba sunt Hincmari) inter caetera pene innumerabilia, in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quae alibi orire, propter aequitatis judicium palatium aggrediebantur, juste ac rationabiliter determinaret, seu perverse iudicata ad aequitatis tramitem reduceret &c. (1).*

(1) HINCM. l. c. §. XXI.

Plures Palatii
comites Co-
mitem Palati-
norum Rheni
praerogativa.

§. XLIII. Jam sub Merovingis & Carolingis duos interdum fuisse comites palatii, quod H. Conringius negaverat (1), hodie nemo dubitet (2). In Germaniae etiam regno, provinciis quae proprio jure uterentur, comites palatii tenuerunt, celebresque Saxoniae & Bavariae, non secus ac Burgundiae & Lateranensis palatii comites fuerunt. Insignes tamen comitibus palatinis ad Rhenum praerogativa manserunt. Sed de illis hic agendi locus non est. Nam ex quo aliud simul officium aulicum, uti dapiferatus quondam gerere coeperunt Palatini, Palatinatus, ut ducatus, marchionatus, aliaque regni quondam officia in proprium principatum versus est. Jura tamen insignia ratione hujus officii Palatini sibi vindicarunt, de quibus alio loco.

Archivenato-
res imperii:
an inter eos
dux Würtem-
bergicus?

§. XLIV. Haec tamen enumerata officia primaria, cum olim praecipua in aula fuerint, & a nobilissimis principibus sustinerentur, maximae semper existimationis fuerunt. Sed & alia tamen libera, neque ut videtur, iis subordinata officia, partim jam in aula Caroli, partim a recentioribus Imperatoribus constituta fuerunt. Hincmarus venatores principales IV.

les IV. recenſet. Maximum enim ab omni memoria vena-
tionis inter Germanos ſtudio. Et de Carolo M. Eginhar-
dus (1). *Exercebatur aſſidue equitando ac venando, quod illi
gentilitium erat, quia vix ulla in terris natio invenitur, quæ in
hac arte Franci poſſit æquari.* Reliquorum regum Franco-
rum venationes ſæpe annotant annales, & Henricus Saxo co-
gnomen etiam ab aucupio traxit. Sereniſſimis marchionibus
Miſniæ archivenatoris Imperii dignitas a pluribus Imperatori-
bus confirmata eſt (2). Idque officium ſub Carolo IV. Fri-
dericus Severus in curia Metenſi ad a. 1366. exercuit (*). Eo-
dem tamen tempore Rudolphus IV. magnanimus, archidux
Auriſtriz titulo illo inſignis fuit. Habemus nummum 1339.
cuſum, quo S. R. I. archimagiſter venatorum inſcribitur (3).
Exſtantque diplomata a. 1360. quibus dicitur: *Des H. Rö-
miſchen Reichs Ober-Meiſter der Jäger.* it. *Des H.
Römiſchen Reichs Obrifter Jäger-Meiſter.* Pomerania
duces, ratione principatus Rugenſis idem ſibi acceptum
a majoribus officium olim aſſeruerunt, ad diplomata Impe-
ratorum provocantes, eoque argumento, inter alia, vindi-
catori honorem loci ante Vürtenbergicos, uſi ſunt (4). Non
jam de his conciliandis ſollicitus ſum. Francorum tamen re-
ges plures habuiſſe primarios venatores ex Hincmari loco
apparet. Vürtenbergiz ducem ratione comitatus Auraceniſis
praefectum venatorum imperii eſſe vulgò tradunt. Sed in
controverſia cum Pomeranis, cujus modo mentionem feci,
nullum plane dubium Pomeranis ſibi hoc officium aſſerenti-
bus, movetur. Regerunt ſaltem Vürtenbergici, quod ſi ex
officiis dandus eſſet principibus locus, ducem ſuum, ut ar-
chivexilliferum Imperii, venatori praeferendum fore. Adeo
tamen nec ipſa aula Vürtenbergica hanc ſibi dignitatem tribuit.
Induxit, ni fallor, ſcriptores in eam opinionem, teſſera gen-
tilitia comitum Auraceniſium, quæ cornu, quali venatores

F

uti

uti solent, præfert. Et forte illi Sueviæ ducum venatores fuerunt, quæ est conjectura perillustri auctoris socialis Europæi (5).

(1) Vit. Caroli M. c. 22.

(2) conf. Europ. Her. T. I. P. II. p. 257.

(*) conf. LEHMANNI Chron. Spirensis.

(3) conf. Hiffor. Remarq. 1705. p. 335.

(4) conf. Württenb. Gegen-Deduction wegen der Reichs = Fahne, in documentis lit. D. D. in THVCELII elect. jur. publ. T. I. p. 224.

(5) l. c.

Protovestiarium
officium a Ludovico
Bavaro institutum:
ubi de jure imponendi
Imperatori demendive
coronam.

§. XLV. Ludovicus Bavarus 1339. Rainoldum comitem Gelriæ, ducem, assentiente cum aliis principibus electoribus, etiam Ludovico marchione Brandenburgico appellans, protovestiarium simul constituit. Quæ dignitas hæreditarium demum creata fuit: Officium vero definitur (1): *ut vestibus cesareis Imperatorem induat, quoties actus publici celebrentur, nec non coronam imponat Romanis regibus, cum Aquisgrani, Mediolani, vel Romæ coronemur; eamque iterum tollat, ac in processione gestet.* An duces Gelriæ officium unquam exercuerint, non constat. Saltem posteri duces id neque titulo præ se tulerunt, neque investituræ literis inseri curaverunt (2), neque cum A. B. conderetur, de officio Gelricogitatum fuit. Statuitur enim in illa, liberum esse Imperatori, cui portandas in processione coronas velit tradere (3). Cura autem vestium regiarum in Carolina aula ad camerarii officium videtur spectasse. In Gallia etiam remansit nexus, ut supremus cubiculi præfectus, vestiarium simul magister esset, eoque nomine, subjecta sibi omnia officia, rei vestiariorum servientia, haberet (4). In coronatione Ferdinandi IV. cum Palatinus coronam tollere cœpisset, Brandenburgicus quoque legatus manum admovit, cautus, id ad camerarii officium spectare, cujus sit, regem solemnibus vestimentis induere, & exuere. Probavit cæsar causam, & sic finitis precibus

precibus, solus coronam novo regi imposuit Brandenbur-
gicus. Postea tamen cum acta evolverentur, promiscue id
a summis cubiculariis caesareis factum, neque adeo cum ar-
chicamerarii munere praecise conjunctum esse patuit (5).
Regem Bohemiae Vilhelmo coronam imposuisse, supra an-
notatum est. Cujus jure pincernae quondam haereditarii ex
gente Limburgica, demendi coronam jus, tenendique, dum
sacra missa peraguntur, in coronatione Ferdinandi IV. &
Leopoldi asserere, sed nullo quidem successu conati sunt,
mansitque haec thesaurario functio (6). Nisi quod, dum
accumbit Imperator, coronam ei demere ac seponere pin-
cernae adhuc est, prout in Josephi & Caroli VI. Augg. Fr. coro-
natione apparuit.

- (1) vid. *Dipl. in LEIBNITII Cod. Dipl. P. I. §. 78. p. 151. conf. PONTANI Hist. Gehr. l. 7. p. 228.*
- (2) vid. e. g. *litteras Caroli IV. 1377. Guilielmum ducem investientis ap. PONTANVM Hist. Gehr. l. 8. p. 315.*
- (3) c. 26. §. 4.
- (4) vid. IOH. TILII *Comm. de rebus Gall. l. 2. p. 168. §. 169. vers. lat. 1579. Frf. ad Mœn. f. editae.*
- (5) PVFENDORFFIVS *de rebus Frid. Vilb. L. 2. §. 43.*
- (6) vid. IORDANVS *de archipincerna c. 12. §. 7-12.*

§. XLVI. Adeo jam omne aulae ministerium occupa-
tum erat, ut Carolus IV. cum comitatum Luxemburgicum,
fratris Venceslai causa, in ducatum commutaret, vix inve-
niret officium, quod illi adderet. Tandem decerptis hinc
illinc functionibus, ita tandem novo duci consuluit: *Te,*
heredes, & successores tuos, duces Luemburgicos perpetuo,
infra scripto, claro quidem officio, gratiosus insignimus, ut
quoties nos, aut successores nostros, Romanos Imperatores s. re-
ges, ad reprimendam rebellium nostrorum superbiam, vel ad
nostros seu imperii procurandos honores, armatos contigerit in-
cedere: Tu, heredes, aut successores tui, duces Luemburgenses,
qui pro tempore fuerint, frenum Imperialis s. Regalis dextrarii
nostri,

De officio au-
lico ducum
Luxemburgi-
corum,

noſtri, a latere dextro gubernare, & proſpicere debita fidei diligentia debeatis, & in recubitu menſe noſtræ, cibos regioſ, qui in ſolemnibus curiis noſtris adminiſtrati fuerint, coram nobis incidere: (incidere (1)) ut ſic tanquam principes & fideles Imperii, guerrarum & pacis in tempore, Noſtri curam & cuſtodiam habeatis (2). Sed & illud officium ducatu in Burgundicam domum illato, neglectum fuit. Et quantum quidem ad ciborum diſſectionem attinet, id officium in ſolemni poſt coronationem epulo, a variis Germaniæ principibus, & Auguſto Carolo VI. ab Alexandro principe Vurtenbergico præſtitum fuit (3). Frena autem equi, quo veheretur imperator, regere, quod dextrari vocant medii ævi ſcriptores, honorificum valde erat. Ita Imperatori cum coronationis cauſa Romanam ingrederetur, præfectus urbis gladium præferre, ſenatores vero per aliquod viz ſpatium dextrari debebant (4). Ipli Imperatores coronari, diſcedenti papæ interdum dextrari ſolebant, ut fecit Fridericus III. (5). In Gallia aſcendenti equum regi, aut deſcendenti auxiliatricem manum præbere magni ſcutarii eſt (6) (Grand Ecuyer). In aula imperatoria equo veſtum Auguſtum in ſolemni proceſſione pedes comitatur, eique velut dextratur, ſtabuli comes.

(1) uti jam obſervavit LEIBNITIVSI, citando.

(2) vid. dipl. in LEIBNITII Cod. dipl. P. I. n. 94. p. 208. conf. magnum Chron. Belg. ad a. 1354.

(3) vid. Diarium der Wahl und Erönung.

(4) PETR. DE ANDLO *de Imp. Rom. Germ. lib. 2. c. 15.*

(5) *Id. ib.*

(6) de cujus officio vid. VINCENTIVS LVPANVS *de magiſtratus & præſect. Francor. l. 1. ad fin. Ioh. Tili p. 204.*

Curopalates.

§. XLVII. Peculiare fuit, & haud dubie personale Georgii Baviariæ ducis, gentis ſuæ ultimi officium. Is enim curopalates imperii vocatur in literis Maximiliani I. 1499. ad eum datis (1), *Hochgebohrner lieber Dheim, Kurf, Rath,*

Rath und des Reichs Hof-Meister. Et a Praeside suo
Lanshutano salutabatur: Der Römischen Königl. Ma-
gestät und des H. Reichs Hof-Meister (2), de magni ma-
gistri in gallica aula officio, Joh. Tilius inspici meretur (3).

(1) vid. Fernere beständige ausführliche Deduction von Pfalz-
Neuburg, wider das Kloster Rappheim p. 279.

(2) *ib.* p. 278.

(3) *l. c.* p. 162.

§. XLVIII. Ostiariorum magister inter aulae Carolinae Janitores.
officiales saepe memoratur. Quae ejus fuerit dignitas, vel in-
de apparet, quod Carolus Calvus fratrem uxoris suae Bos-
onem, qui postea Provinciae rex fuit, honoribus aucturus,
camerarium & ostiariorum magistrum fecit (1). Hodie illu-
stris Wertherorum familia titulum hereditarium imperii
janitorum (K. Kayserl. Maj. und des Heil. R. Reichs
Erb-Cammer-Thür Hüter) gerit, ipsumque officium, ab
Henrico IV. cuidam ex majoribus suis, Hermanno, fidelissi-
mo ministro collatum repetit (2). Renovatum continuatum-
que ab Imperatoribus feudum testantur monumenta a Maxi-
milianio I. temporibus in cancellaria imperialis aulae extan-
tia (3). In ultimis electionis comitiis genero id suo, comiti
de Linar delegaverat illustrissimus atque excellentissimus Co-
mes de Werthern, Potentiss. Regis Poloniae Status Minister
& Cancellarius (4). Idem quoque officium inter heredita-
rias Austriae dignitates est.

(1) Ann. Bertin. ad a. 872.

(2) ALEINI Historia vom Geschlecht der Grafen und Herren
von Werthern p. 7.

(3) vid. ill. Auctor *commentationis de hereditariis provinciarum
austriacarum officialibus c. IX.*

(4) vid. Wahl und Erbn. *Diav. passim.*

§. XLIX. Alia officia memorantur partim etiam ha-
reditaria, sed primariis subordinata. Nonnullorum vero
us ad certas provincias tantum restrictus fuit. Sic chroni-
Officia quae-
dam aulica
subordinata
aut tempora-
ria ad certas

provincias re-
stricta recen-
sentur.

con Oldenburgense ab Henrico (forte V.) comitem Ascania venatorem avium in sylvis & compitis pro coquina regis, comitem de Spiegelberge venatorem, & comitem Vernigeroda piscatorem in partibus Saxonie factum narrat (1). Comitatus Vernigeroda insigne hodie adhuc duo pisces sunt. Basileenses simili forte restrictione, imperii piscatores fuerunt, quorum insigne anchora inde originem traxisse ex Christiani Vrsilii ore Freherus refert (2). Comitem Schwartzburgicum in comitiis Metensibus una cum marchione Misnia venatorem egisse videntur. Sed nihil ex loco illo probari potest, utrum officium regni an Imperatoris, perpetuumve an temporarium fuerit.

(1) in MEIBOMII *Script. Rerum German. T. II. p. 142.*

(2) ad PETR. DE ANDLO l. 2. c. 15. conf. VRSTISIVS *ipse in bist. Basl.*

Schwartzburgici an archippocomi

§. L. Eidem familiae archippocomi imperii, seu comitis stabuli titulum vulgo tribuunt, acceptum hereditatis iure a dynastis Leutenbergensibus, quorum etiam insignia fuerint furca, & rastrum sine capulo, quae Schwartzburgici tesseris gentiliis hodie praeferrunt. Sed qui majori cura haereditati sunt, a Kevernburgensibus comitibus, ut sanguinem ita & pectinis insigne traxisse Schwartzburgicos affirmant, quod posterior aetas pro raistro sine capulo acceperit (1), officii autem imperii nulla idonea exstare documenta. Comitum Palatii majorem D. Leopoldus 1691. dedit.

(1) WEBER. *in expositione insignium Schwartzburgicorum, ad fin. examinis art. Herald. p. 114.*

An comites Oldenburgici officium imperii aulicum gesserint?

§. LI. Non agerem hic de praefecti aggerum officio, quod comitibus Oldenburgicis tribui solet, cum ad aulam minime spectet, nisi nonnulli, qui germanicam vocem *Dyemcister* male ceperunt, piscinarum eos praefectos creassent. Aggerum autem praefecti nomen ab Imperatoribus suis collatum, Hamelmanni fide, plures scribunt (1). Nihil quidem

dem in archivis, quod titulum confirmaret, repertum esse dicitur (2). Huc tamen pertinet forte testimonium chronici Oldenburgerensis, de Henrico, ut videtur V, referentis, quod archicomes *Ambrie & Ruffringie*, in quod nomen Oldenburgicum postea successit, quia jacuit interjacentia maritima loca, factor pontis regalis, & magister structurae & carpentarius ab illo constitutus V. asserum insigne acceperit (3): quorum quidem loco duæ trabes rubræ hodie tantum adhibentur. Nunquam saltem usi sterili titulo comites, neque ad eum, tempore maxime opportuno provocarunt, cum ingentes sumtus in aggeres quorannis faciendos, pro facilius obtinendo vectigali Elsterano urgerent.

(1) HAMELMANNI *Chron. Oldenb. p. 35.* IOH. IVSTVS WINCKELMAN *in Chron. Oldenb. p. 16.* secutus auctoritatem IOH. SCHIPHOWERI reddit: *Des H. N. Reichs Bau-Meister an der Sei-Kante.*

(2) vid. AVCTOR *des Hanöverischen Gegen-Berichts, &c. in elect. jur. publ. a. 1646. 4. edit. T. I. p. 18.*

(3) l. c. ad §. 49.

§. XLII. Superfunt præterea quædam archiofficiarum vestigia in regnis, quæ olim Germaniæ, in specie sic dictæ, arctissimo vinculo unita fuerunt, & quorum reliquæ, diuisis plerisque provinciis, hodie vel in protectione imperii sunt, vel penitus in civitatem receptæ. Sed ea, quæ quidem post horum regnorum cum Germanico conjunctionem supervenerunt, tantum infra archiofficialium Germaniæ dignitatem fuisse crediderim, quantum conditio regni Germanici præstabit. Regnum Lotharingiæ cum reges proprios habuerunt, officiales quoque aulicos haud dubie habuit. Ita Guntharius, archiepiscopus Colonienfis, archicapellanus fuit. Non tamen perpetuo aliquo ecclesiæ suæ iure. Nam cum deinde Arnulphus, Imperator, easdem provincias regni titulo filio Zuentiboldo concessisset, Ratbodus Trevirensis archiepiscopus, Aliorum regnorum, Germaniæ quondam unitorum officialis aulici, Regni Lotharingici.

chicapellanus fuit, qui & dignitatem sub Ludovico, ad quem ob favitiam defecerant Lotharingi, retinuit, ut supra annotatum (1). Eiusdem regni post Ludovici obitum, inter Germaniam & Neuftriam fluctuans, & ab Henrico Aucupe de novo asserti archicapellanus iterum fuit Rutgerus, Ratbodi successor. Atque hæc videtur prima archicancellariatus per Galliam, quem titulo præfert archiepiscopus Trevirensis diversus ab Arelatensi, origo. De aliis hujus regni Germanico juncti officiis aulicis obscura est conjectio. Seneschallatum duci Lotharingæ ab Alphonso electo Imperatore collatum ad eas regiones restringi, alio jam loco notavimus (2). Nec temere quis negaverit comitis Palatini Rheni, in hujus regni provinciis fundatam præcipue auctoritatem initio fuisse.

(1) conf. supra §. 8. 9.

(2) sup. §. 34.

Regni Arelatensis officia Palatina.

§. LIII. Regnum Burgundiæ novum, quod Arelatense quoque vocari solet, quamdiu sub Germanis regibus veteris formæ aliquam imaginem retinuit, officiales quoque videtur habuisse. Fridericus I. instaurata in iis regionibus Germanici nominis majestate, archiepiscopum Lugdunensem, exarchonta, seu summum principem palatii Burgundici constituit (1). Comites etiam palatii Burgundici fuerunt, qui titulus comitatus Burgundiæ, ab Ottone, Friderici I. Imperatoris filio mansit, & cum eo ad Augustam domum Austriacam transiit. Delphini etiam comitis Palatini titulo aliquando usi sunt. Guido se Delphinum Viennensem, Albonis comitem, Viennensem palatinum appellat. Humbertus II. Delphinum Viennensem, comitem Viennæ, & Albonis, comitem Palatinum (2). Forte a palatio Viennensi, regum sede: de quo intelligendus Fridericus I. Imperator, præfata civitas (Viennensis) inquit, REGIÆ CATHEDRÆ excellentia, nullam præter nos debet habere possessorem (3).

(1) conf. MARCA de primatibus §. 121. CONRING, de fin. Imp. c. 13. p. 75.

(2) vid.

(2) vid. CHORRIER. *Hist. de Dauphiné* p. 789.

(3) *in dipl. ap. CHORR.* l. c. p. 516.

§. LIV. Idem Imperator a. 1157. constituit, ut archie-^{Archicancel-}
 piscopi Viennenses essent in regno Burgundiæ archicancellari-^{larius Arela-}
 quæ dignitas illi ecclesiæ Ottonis IV. adhuc temporibus ^{rensis.}
 propria fuit. Ita enim ad eum Gervasius Tilburienfis (1).
Narbonensis provincia pars Galliarum, habet ab oriente
Alpes Cuscias, inter quas & mare ac Rhodanum sunt hæc pro-
vincia: Arelatensis, quæ caput est regni, Viennensis, quæ can-
cellaria regni gaudet. Et Friderici II. diploma 1214. Basileæ,
 Michaeli archiepiscopo Arelatensi datum habetur (2), cui in-
 ter testes subscripsit Fridericus Trevirensis archiepiscopus.
 Recognovit autem *Comradus Spirensis & Metensis episcopus,*
imperialis aula cancellarius, vice domini Umberti Viennensis
archiepiscopi, & totius regni Burgundiæ archicancellarii. Un-
 de licet non constet, quo tempore archiepiscopi Trevi-
 renses hujus regni archicancellarii appellari coeperint, eos ta-
 men falli certum est, qui id sub Friderico I. factum putant.

(1) *In otis Imperialibus*, in LEIBN. S. R. Br. T. I. p. 914.

(2) SAXI *Pontif. Arelat.* p. 251.

§. LV. Marefcalcum se regni Burgundici appellat Ger. It. Seneschal-
 vafius Tilburienfis, seu Tilisburienfis, (alii codices etiam Sa-^{lus.}
 lisberiensem appellant (1),) regio in Anglia sanguine natus, &
 Ottonis IV. necessarius. Otia enim sua ita Imperatori in-
 scribit: *Severissimo domino, Dei gratia Ottoni IV. Rom. Imp.*
semper Augusto, Gervafius - - - vestri dignatione marefcallus
regni Arelatensis (2). Humbertus Delphinus, Imperii per
 regnum Burgundiæ seneschallus in literis Rudolphi I. a. 1291.
 datis vocatur (3). Quamvis vero existit recentiores aliorum
 Imperatorum ad Delphinos literæ, in quibus ille titulus
 omittitur, ultimum tamen Humbertum, eo iterum ab Im-
 peratore Ludovico insignitum fuisse, atque ad ejus officium
 pertinuisse *jurium imperialium conservationem, & imperii ob-*
viare jaçuris & periculis, ex bulla aliqua Benedicti XII. a. 1341.
 confe-

G

confecta colligit Chorrierius (4). Ex quo refellitur Honoratus Boucheus, qui negat ulla in re supremi sui in id regnum juris documenta edidisse Ludovicum (5).

(1) conf. CHORR. l. c. p. 509.

(2) ap. LEIBN. *Codice F. G. D.* p. 887.

(3) teste CHORRIR. l. c. l. 9. n. 5. p. 788.

(4) l. c. l. 8. n. 17. p. 516.

(5) *Hist. de Provence* T. I. l. 7. p. 830.

Officia aulica
Italica. Comes
palatii Late-
ranensis.

§. LVI. Italia quoque Germanorum amplexa imperium, palatia quidem regia habuit; sed si comitem palatii & archicancellarium, quem etiam aliquamdiu ex suis episcopis habuit, exceperis, alii præter regni Germanici archiofficiales non fuerunt. Comitis palatii Lateranensis maxima fuit dignitas, etiam sub Ludovico adhuc Bavaro (1), partesque nonnullæ in coronationibus (2). Ita & Petrus de Andlo (3) refert, quod Imperatorem Romæ coronandum ad basilicam S. Petri, comes palatii Lateranensis & primicerius judicum Romanorum deducant. Verum id in ceremoniali Romano omissum, duoque cardinales, qui Cæsarem deducant, substituti.

(1) vid. *diploma*, quo 1328. Castrucium ducem Lucanum, & Romani Imperii signiferum, creat comitem S. Lateranensis palatii, in LEIBN. *Cod. F. G. Dipl. P. I.* n. 64. p. 129.

(2) *Declarantes & nunc per hoc nostra serenitatis indulgentiam, Tibi & prædictis successoribus tuis, ex prædicta comitatus dignitate competere jus assistendi perpetuo benedictioni, sacra unctioni & coronationi successorum nostrorum, principum Romanorum & omnibus & singulis ipsius coronationis solemnitatibus (& præcipue sociandi & deducendi ipsos Romanos principes, tempore coronationis fienda de iis, ad sacram unctionem de ipsis faciendam, & eisdem Imperatores Romanos successores nostros tenendi & juvandi in ipsa sacra unctione & actu ipsius) & eadem unctione perfecta, eos reducendi & sociandi ad altare, ad ibidem lamam, prout & quoties principes expediti redire.* Item jus

tenendi & levandi Imperiale diadema de nostro & successorum nostrorum Romanorum principum capite, tempore quo imperialis coronationis solennia celebrantur, & etiam quocumque alio tempore, quoties publice ipsum diadema expedierit, levare de capite nostro, &c.

(3) l. 2. c. 6.

§. LVII. Archicancellarius hodie, perpetuo ecclesie ^{Archicancel-} suae jure est archiepiscopus Colonienfis (1). Equidem Lotharius ^{larius regni} Saxo imperator, Guibaldum abbatem incliti Casinenfis ^{Itali.} monasterii, in litteris ad eum datis, Romani imperii cancellarium, & magistrum capellanum vocat (2). Sed is forte titulus honoris causa tributus abbati fuit, quia imperator Pipini & Caroli M. edictum, & antiquum morem sequi professus, monachos Casinenfes inter Romani imperii capellanos receperat (3). Cum ipsa abbatia camera imperialis, & de jure patronatus imperii esset: ut Angelus de Nuce, abbas Casinenfis annotavit (4). Quantum autem ad officium archicapellani, quod in recognoscendis tabulis consistit, attinet, modo Episcopi Italiae, modo Episcopi Germ. in ipsa Italia eo functi sunt. Sub Ottone I. 962. Videricus cancellarius recognovit ad vicem Brun (Brunonis Colonienfis) archiepiscopi & archicancellarii (5). Sub Ottone II. Petrus episcopus Papiensis archicancellarius fuit (6) mansitque sub Ottone III. Sub Conrado II. recognita sunt diplomata vice Aribonis Montinini, Romae 1028. (7) & Cremonae 1026. (8)

(1) conf. supra §. 16.

(2) vid. eas in LEONIS OSTIENSIS & PETRI Diaconi Cbron. Casin. l. IV. c. 125. p. 571. ed. Paris. 1668.

(3) ib. c. 104. p. 531.

(4) l. c. ad l. 4. c. 124. ubi ex authentico Lotharii haec verba profert: Nos ab expeditione Apuliae ad Casinensem ecclesiam tanquam ad nostram declinantes cameram.

(5) VGHELLI Ital. Sacr. T. II. p. 201.

(6) vid. dipl. ap. BARON. T. X. ad a. 984. §. 4. & plura ap. VGHELLI.

LVM,

(7) ap. VGHELL. l. c. T. I. p. 902.

(8) *id.* T. II. p. 144.

Archiofficiales
Augustæ,
eorumque
origo.

§. LVIII. Augustæ quoque archiofficiales ex præcis regni institutis quæ partem aliquam in administrandis reip. negotiis illis tribuebant, retinuerunt. Quorundam hæc forte origo, est, quod olim reges, cum monasteria adhuc in potestate haberent, nonnulla reginæ dotis loco dare solerent: quorum abbates ipsis quoque in curia infervirent. Ita liberum monasterium S. Maximini prope Trevirim cum omnibus rebus, ecclesiis, & possessionibus, ad eam in quibuscunque locis pertinentibus, in dotem reginæ dari solebat. Extant Ottonis I. (1), Henrici III. (2) & IV. (3) tabulæ, quibus id antiquo omnium regum exemplo fieri dicitur. Memorabilia sunt verba Ottonis: *Adelheidam conjugem nostram dilectissimam, cum abbatiâ S. Johannis evangelistæ, que in suburbio Trevirorum sita est, ubi S. Maximinus pretiosissimus confessor corpore quiescit, cum omnibus ecclesiis, & possessionibus, ad eam in quibuscunque locis juste, & legaliter pertinentibus sicut, antea cum nuptiali federe, & regali consecratione eum nobis associarem in regnum ultra montes in Gallie partibus, ita nunc & in hac Romana urbe, sanctissimo viro, Johanne summo & universali papa, B. Petri Apostoli vicem gerente, per Apostolicæ suæ autoritatis privilegium confirmante, cum præfata abbatiâ, sicut primitus in regnum, ita & nunc in imperium dotamus, sublimamus & corroboramus. Et abbates ubique jubentur, reginæ infervire ad capellam, ad mensam, in curia regia: utque servitium, quod secundo semper anno de eadem abbatiâ, dictante justitia daturi sunt, sibi exhibeant. Similia fere habentur in aliis tabulis duabus, ubi etiam causâ additur: ut sicut revera per B. Petrum Apostolum, & discipulos ejus sanctissimos, Eucharium, Valerium, Maternum in Trevirensi episcopo, & inde per totam Galliam catholicæ fidei primitus capit pullulare, & initiare sacramentum, ita & per hanc prædictam abbatiâ, omnes reges & Imperatores, cum suis conjugibus propagandæ sobolis incrementum, & regie potestatis ac digni-*

dignitatis semper percipiant. testamentum (4). Unde boni auspicii causa Fridericus III. de matrimonio Maximiliani, filii, & Mariæ Burgundicæ, cum Carolo audace, in monasterio S. Maximini agere voluit (5). Inde natus abbas S. Maximini titulus archicapellani Romanorum imperatricis, quem iis Ferdinandus II. 1626. inter alia jura confirmavit: *ut abbas, sicut sub divi predecessoribus nostris - - - sic & sub nobis, & successoribus nostris, titulo archicapellani Romane imperatricis gaudeat & utatur* (6).

(1) ap. ZYLLES. *defens. abb. S. Maximini P. III. n. XI.*

(2) *ib. n. 22.*

(3) *ib. n. 23.*

(4) *vid. allegatum diploma Henrici III.*

(5) ZYLLES. I. c. P. II. n. 4. p. 20. (6) *ID. ib. P. III. n. 86.*

§. LIX. Non æque certæ sunt origines archicancellarius, quo abbates Fuldenses gaudent. Facile credimus habuisse antiquis temporibus Imperatrices cancellarium, cui epistolarum tabularumque curam committerent, cum aliquam partem in administranda republica, imprimis absentibus foris maritis, haberent (1). Gallia quoque reginas cancellarium olim habuisse, qui jus dixerit in comitatu illarum, salva provocatione ad parlamentum, testatur & exemplis probat Joh. Tilius (2). Sed cum jam ab Ottonis I. tempore haberet archicapellani abbatem S. Maximini, qua dignitate ferriorum quoque cura continebatur, ut in archicancellariis Imperii patet, difficile dictum est in istis tenebris, qua ex causa Fuldensis nihilominus archicancellarius factus fuerit. Berthous I. Schlitzius gente, qui 1133 & 1134. præfuit, acceptum a majoribus officium, simul cum prærogativa loci vindicasse scribitur (3). Mallinkrotius ad Ottones conjectura ascendit (4), ac eodem tempore, quo Moguntini antistites archicancellariatum per Germaniam sibi vindicarent, quod sub Ottone I. ex ejus sententia factum, Fuldensi hunc honorem apud Augustam, B.

Archicancellarius Abb. Fuldensis origo. An ab Ottonis I. tempore?

Bonifacii memoria, ac monasterii reverentia, a quo tot præstantissimos viros Moguntina sedes acceperat, tributum suis se existimat. Eo præcipue inductus argumento, quod alia ratio, cur abbates illi episcopis, atque ipsi etiam Colonienſi & Magdeburgenſi archiepiscopis, de loco litem moverint, reddi nequeat. Sed alia ſit, oportet, aſſertæ ſibi proedite cauſa. Nam & Colonienſibus, haud dubie jam archicancellariis imperii perpetuis, in curia Moguntina 1182. ſeu 84. (1) litem moverunt Fuldenſes. Initio Fuldenſis archicapellanus honorarius Imperatricis, perinde ut abbas S. Maximini fuit: cum vero interea archicapellani & archicancellarii titulus promiſcue adhiberi in imperio Germanico cœpiſſent, ac abbas Fuldenſis a Carolo IV. renovari antiquum honorem peteret, archicancellarius ſolenni formula appellatus eſt.

(1) conf. ſupra §. 37. De imperaticis cancellaria & archivo MVLZIVS egit in *Repreſ. Maj. Imperatorie*, quod caput in collecta ſua tranſtulit WENCKERVS p. 109.

(2) *Comment. de rebus Gall. l. 2. p. 99. ed Francoſ.*

(3) SERRARIUS l. 1. c. 15. *Fuld. antiqu.*

(4) *de archicanc. Germ. c. 7.*

(5) Arn. Lubec.

Tituli renovatio & exercitium officii.

§. LX. Non videntur enim hodie diplomata Carolo IV. antiquiora, quæ dignitatis mentionem faciant exſtare. Is vero 1358. Henrico, abbati Fuldenſi, hunc titulum, ut ab antiquiſſimis temporibus Fuldæ competentem, quamvis forte periſſent tabulæ veteres, quarum auctoritate introductus primum fuiſſet, inter alia privilegia confirmavit: Addidit tum primum, ut videtur, novum huic dignitati privilegium, ut abbates, quoties Imperatricem, ſeu reginam Romanorum coronari, aut in veſte imperiali ſeu regia ſedere, vel ſtare contigerit, coronam, quoties more, vel ordine poſcente, a capite ipſius deponi debuerit, & deponendi, eam ac tenendi, & etiam reponendi, quoties

quoribus necesse fuerit, officio fungantur (1). Is Henricus inter
 testes privilegii 1358. civitati Noribergensi Pragæ concessi,
 appellatur Serenissimæ Annæ Romanorum Imperatricis archi-
 cancellarius (2). Tum a. demum 1559. in subscriptione R. J.
 eodem iterum titulo utitur abbas, Wolfgangus Theodori-
 cus, ante quem a nemine cum adhibitum fuisse credidit
 Multzius (3), aliique plures. Literæ augustarum antiquæ,
 vix unæ forte alterave supersunt, ex quarum subscriptione
 nihil profeceris. Unicum Mathildis Henrici V. conjugis di-
 ploma, statim post mariti obitum, prædium aliquod suum
 ecclesiæ Trajectensi donantis, annotavit eruditissimus Ven-
 ckerus (4). Verum illud Imperatoris sigillo, & nomine
 Adelberti AEpiscopi Moguntini nomine signatum est. Equi-
 dem protonotarii sui mentionem facit Elisabetha, Caroli IV.
 conjux (5), & habentur etiam recentiores aliquot Augusta-
 rum, Annæ ejusdemque Elisabethæ, Caroli IV. Eleonoræ,
 Frederici III. & Blancæ Mariæ Maximiliani I. conjugum, literæ
 ad civitatem Argentinensem, a Venckero ex archivis editæ
 (6), in quarum subscriptionibus nulla archicancellarii mentio.
 Partibus autem in coronatione Augustæ sibi debitis Francofurti
 a. 1612. cum Anna Matthiæ I. conjux inauguraretur, Joh. Fri-
 dericus abbas functus est. Et cum a. 1636. in Mariæ Hispani-
 cæ, Ferdinandi III. regis Romanorum conjugis inauguratione,
 vices illas obiisset abbas de Merhard, Fuldensi id fraudi non
 satutum cautum fuit (7). Joachimus abbas iterum 1653. Ra-
 tisonæ in coronatione Mariæ Eleonoræ partes suas tuitus est
 (8). Vidi apud amicum literas D. Leopoldi abbatem Fulden-
 sem ad solennia coronandæ Imperatricis, ut archicancellarium
 ejusdem invitantis, tabulasque abbatis, quibus cavere voluit,
 ne, quod tum archiepiscopi Colonienfis & Trevirensis partes
 sibi debitas peregerint, noxio ecclesiæ suæ exemplo sit.

(1) Hæc

- (1) Hæc ex diplomate secum communicato edid. *Goldast. Conf. sit. Imp. T. II. p. 344.* Diplomatis integri vero copiam *Cl. LV. NIGO* debeo.
- (2) privil. vid. ap. FRITSCH. *in addit. ad LIMN. jus publ. l. 7. c. 35. n. 17.*
- (3) *in repræs. Maj. Imp. c. l. p. 122.*
- (4) in not. ad AHASV. FRITSCHIVM *de jure archivi & cancellar. in collect. archivi & cancellariæ juribus p. 92. exstat illud ap. HEDAM in Hist. Ultraj.*
- (5) ap. WENCKERVM c. l. p. 126.
- (6) l. c. p. 125. seq.
- (7) vid. *descript. inaugurat. ap. CARPZOV. de lege regia c. XI. S. XI.*
- (8) EBERH. FABRICIVS *in gloria Fulde p. 195. & 205. conf. TVLEM. de offi. c. 13. §. 47. qui lectorem ad librum suum de archicancellariatu abb. Fuldensis remittit.*

Archimare-
schallus im-
peratricis.

§. LXI. Archimareschallum Augusta se gerit abbas Campidunensis: quod monasterium ab Henrico IV. immediate in tutelam Regis receptum; cum titulum a majoribus acceptum Ruperto D. Leopoldus 1683. confirmavit (1), qui deinde cum an. 1690. in coronatione Imperatricis archiepiscopi Col. & Trev. interceptam functionem ipsi exercuissent, jus suum publica obnuntiatione tuitus est. Blanca Maria, Maximiliani I. conjux, Claudium quendam Reinhardum de Wisf. sach Marschalcum suum nominat (2), ex quo colligere licet, imperatrices eos olim officiales habuisse.

(1) LVNIG. *Reichs. Archiv. P. spec. Cont. I. p. 179.*

(2) *ib. p. 181.*

(3) *in lit. ad senat. Argentorat. ap. VENCK. l. c. p. 132.*

F I N I S.





ULB Halle
003 340 317

3







DISSERTATIO IVRIS PVBLICI
DE

1793.18
497
1718 246

ORIGINIBVS
OFFICIORVM
AVLICORVM S. R. I.

QVAM
CONSENSV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN. REGIA FRIDERICIANA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN V. I. HONORES CAPESSENDI

AD D. XXII. AVGVSTI A. d. J. b. c. XVIII.

H. L. Q. S.
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBIICT
IO. IACOBVS MASCOV,
COLL. MIN. PRINC. IN ACAD. LIPS.
COLLEGIATVS.

LIP SIAE,
REC VSA APVD GABRIELEM TROGIVM. (7)

